DE
EVANGELII MARCI
ORIGINE
DISSERTATIO

QUAM

ORDINIS THEOLOGORUM EVANGELICORUM

SUMME VENERANDI

AUCTORITATE

PRO

VENIA THEOLOGIAM DOCENDI

RITE PETENDA

D. XVIII. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXI.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AUGUSTUS KNOBEL

PHILOSOPHIAE DOCTOR, THEOLOGIAE LICENTIATUS

ADSUMPTO SOCIO

MATTHIA HEIMANN

SEMINARII REGII THEOLOGICI SODALI.



VRATISLAVIAE.

TYPIS KUPFERIANIS.

VIRO

SUMME VENERANDO

DAVIDI SCHULZ

PRAECEPTORI AC PATRONO OPTIMO.

PRAEFATIO.

Inter omnes qui circa isagogen in N. T. versantur locos nullus fere est, qui, quot evangelii Marci origo eiusque ratio cum reliquis intercedens, tot et tantis prematur difficultatibus. Unde factum est, ut aliis aliter hac de re cogitantibus, scribentibus, dimicantibus diversissimae eaeque inter se repugnantes proponerentur sententiae; id quod secus evenire eo vix potuit, quod cum argumenta externa, quae vocantur, et ea quidem idonea deessent, ad unam internam evangelii indolem non confugi non poterat. Quam enim pauca de evangelistis testimonia omnino certa nobis praesto sint, quantisque qui de eorum vita et libris horumque fontibus atque origine disquirere moliantur difficultatibus involvi atque irretiri soleant quis ignorat?

Quodsi quis inde miretur, quod iuvenis idemque in litteris theologicis non ita valde versatus tantam rem, in qua ipsi theologi veterani incassum fere ingenia exercuerint, sibi sumpserit excutiendam, conaminis sane ardui causas verbo significem necesse paene videatur.

Iam primum ipsa res tanti est momenti, ut quisquis in cunctis historiae divini servatoris partibus lucem

desideraverit, ei omnium primo de evangeliorum origine mutuaque necessitudine inquirere rectamque sibi parare sententiam opus est. Num quis enim Herodoto vel cuicunque antiquitatis enarratori, anteaquam eum et potuisse et voluisse res ad veritatem accommodate nobis tradere sibi persuasissimum habeat, fidem adiungere voluerit? Num quis Thucydidi, nisi eius, utpote qui rebus narratis ipse interfuerit, facultatem ad scribendum quam maxime idoneam perspexerit, quanta vere dignus est, tantam attribuere gestiat auctoritatem? Num quis denique, ut ad rem pergam, quae Marcus evangelista refert, nisi si eum a certis auctoribus sua accepisse veritatisque studiosum fuisse intellexerit, omni exempta fateatur dubitationi? Quae utut existimaveris et animadverteris, si qua huiusmodi disquisitio instituatur, eam evangelia lecturo summopere esse et utilem et necessariam constat.

Altera causa in ipsa rei ancipitis natura posita. Cum enim evangelia tria priora tam singulatim quam coniunctim (synoptice) legissem, multa ad ordinem et ambitum dictionemque discrepantia conspicatus eam coepi sententiam amplecti, auctores neque communi fonte esse usos, neque unum ex alterius libro sua descripsisse, quinimo unumquemque quadamtenus propriis talis stare. At vero cum, quae viri docti summa et diligentia et subtilitate pervestigassent, quaeque huic opinioni contraria expiscati essent, ea ad unum omnia idoneis argumentis refellere nequirem, denuo, quo dubitatione suspendi desinerem, evangelia sedulo perlegi, et quid hac de re sentirem publici iuris facere virorumque doctorum iudicio subiicere constitui, uno duntaxat, ut ne termini huius provinciae ulterius propagarentur, evangelio (Marci dico) hunc in finem electo. Huic enim, ut qui pauciora quam reliqui praebeat sibi

soli peculiaria, tanta evangelii componendi facultas, quanta Matthaeo et Lucae, nunquam attributa est, nec adhuc attribuitur; quamobrem ea, quae continet propria colligere collectaque in conspectum dare, et ubiubi reliquis aliquo modo repugnet vel ab iis recedat monstrare, opera pretium fore putavi.

Haec iam de causis, quae ad hanc me suscipiendam impulere provinciam, memorasse sufficiat. Antequam vero ad rem ipsam progrediar, duplex transigendum est negotium: primum enim sententiae de evangeliorum origine generaliter enumerandae, breviter perstringendae meumque de iis iudicium qualecunque subiungendum, deinde autem fontes, unde Marcus quae tradit haurire potuerit, indicandi.

§. 1.

De trium evangeliorum priorum origine.

Qui cursu quamvis levi evangelia tria priora pervolutaverit, imo qui uni tantum capiti aliquantum diutius institerit, is primo iam adspectu summam, quae non solum ad res enarratas, verum etiam ad earum collocationem depingendique rationem pertingat, consensionem in iis deprehendi facile intelliget, indeque evangelistas cunctos ex uno eodemque fonte hausisse confiteri non recusabit. Quem quidem fontem cum essent qui explorare eiusque fines accurate constituere tentarent, mirum quantum dissenserunt inque opiniones parum probabiles prolapsi sunt. Eas igitur si minus singulatim, generatim saltem educere breviterque exagitare haudquaquam a re alienum erit.

Triplex evangeliorum cognationis explicandae inita est via: alii enim, ut hinc principium ducat nostra dispositio, monumentum aliquod scriptum, nobis plane

ignotum, ponunt illorum evangeliorum fundamentum, sed ita quidem, ut pars [1]) scriptores nostros uno evangelio primitivo (Urevangelium) syro-chaldaico, cui sua superstruxerint evangelia, usos esse contendant, pars [2])

---

1) Eichhorn: Allg. Biblioth. der bibl. Litteratur, V. p. 759 ss. et: Einleitung in d. N. T. 1820. I. p. 164 ss. 181 ss. 321 ss. Marsh: Anmerkungen und Zusätze zu J. D. Michaelis Einl. i. d. SS. d. N. B. übers. v. Rosenmüller 1803. II. p. 137. 170 ss. Russwurm: Ueber d. Ursprung der drei ersten Evangg. 1797. §. 83. Ziegler: Ideen über d. wahrscheinlichen Ursprung der drei ersten Evangg. in Gableri diario: Neuestes theol. Journal, 1800. IV. P. 5. Hartmann: Betrachtung über die vier Evangg. in Schäreri Schriftforscher, I. 3. Cludius: Untersuchung, ob die in den verloren gegangenen Evangg. angeführten Aussprüche Jesu wohl von Jesu seyn können, in Henkii Museo für Religionswissenschaft. II. 3. p. 351 ss. Hänlein: Einl. in d. N. T. 1801. III. p. 30 ss. Bertholdt: Einl. III. p. 1205 ss. Kuinoel: Commentar. 1816. I. p. 3 ss. II. p. 5. 225 ss. Ab his aliquantum discrepat Gratz: Neuer Versuch die Entstehung der drei ersten Evangg. zu erklären, 1812. p. 30 ss. 105 ss. duplex evangelium primitivum statuens, quorum altero Marcus et Lucas usi sint, altero autem eoque cum isto cognato Matthaeus. Tabulam coniecturarum Eichhornii, Marshii et Gratzii exhibuit Schott in Isagoge in N. T. 1830. p. 49 ss.

2) Clericus: Hist. Eccles. 1716. p. 429. Semler: Anmerkungen zu Townsons Abhandlung über die vier Evangelien, 1783. I. p. 146. 221. 290. I. D. Michaelis: Einl. in d. göttl. Schriften des N. B. II. §. 129. 144. Koppe: Marcus non epitomator Matthaei in Pottii et Ruperti Sylloge commentt. theoll. I. p. 35 ss. Priestley: Observations on the Harmony of the Evangelists. 1777. p. 73. Halfeld: De origine quattuor evangeliorum, 1794. Paulus: Anzeige von Gratz's neuem Versuche etc. in diario: Heidelberger Jahrbb. 1812. N. 17 s.

autem plura id genus subsidia eademque breviora, quae temporum decursu perierint, evangeliorum convenientiae causam et ansam dedisse asseverent. Quibus subiungendi sunt ii, qui evangelium, cuius nomen saltem nostrae memoriae sit proditum, pro fonte communi habent; neque vero hi in partes non discedunt, quarum unis [3]) evangelium καθ' Ἑβραίους, alteris evangelium Matthaei idque aliud ac nostrum canonicum a nostris adhibitum videtur; eorum tamen, quos posteriore loco posui, suo quisque modo sentit; sunt

idemque in Conservatorio, 1822. I. p. 108 ss. nec non in libro suo: Introductionis in N. T. capita selectiora, 1790. p. 250 ss. SCHLEIERMACHER: Ueber die Schriften des Lucas 1817. I. RHESA: De trium evangg. in canone N. T. priorum fonte ac origine, 1819. TOL: De instituto ab Iesu Christo epulo sacro evangelistarum et Pauli comparatas inter se narrationes illustravit, 1819. p. 98 ss. SARTORIUS: Drei Abhandlungen über wichtige Gegenstände der exeget. und systemat. Theologie, 1820. p. 50 ss. KAISER: De linguae aram. usu ad iudicanda et interpretanda evangg. canonn. 1823.

3) LESSING: Theolog. Nachlaß, 1784. p. 45 ss. A. H. NIEMEYER: Coniecturae ad illustrandum plurimorum N. T. scriptorum silentium de primordiis vitae Iesu Christi, 1790. p. 8 ss. GRIESINGER: Einl. in d. Schriften des N. B. 1799. p. 33. C. F. WEBER: Beiträge zur Gesch. des N. T. Canons, 1791. p. 21 ss. 60 ss. idemque in libro: Neue Untersuchungen über das Alter und Ansehn des Evang der Hebr. 1806. VENTURINI: Gesch. des Urchristenthums in seiner natürlichen Gestalt, II. p. 8. 41 ss. RAU: De praecipuis causis varietatis et inconstantiae, quae, si modum narrandi spectemus, in evangg. Mt. Mc. et Luc. reperitur, 1805. Anonymus quidam: Beiträge zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Relig. P. 16. p. 57. THIESS: Neuer krit. Commentar über d. N. T. 1804. I. praef. §. 13 ss.

enim, qui evangelium Matthaei syro-chaldaice scriptum [4]), sunt qui versionem graecam eiusdem evangelii perditam [5]), sunt denique qui utrumque simul huc arcessant [6]).

Alii deinde istam evangeliorum congruentiam inde derivant, quod qui scripturus fuerit is ante ceterorum libros legerit lectosque in suam converterit rem; verum hi quoque mirum in modum distrahuntur; unus enim evangelium Matthaei tempore prius a reliquis usurpatum fuisse dicit [7]), quod idem alter de libro

---

4) J. E. Ch. Schmidt: Entwurf einer bestimmteren Unterscheidung verschiedener verlorengegangener Evangg. in Henkii diario: Magazin für Religionsphilosophie etc. IV. p. 576 ss. et: Einl. ins N. T. 1809. I. p. 68 ss. Cui an Herder sit adiungendus haesito; is enim tametsi evangelium Matth. hebr. primigenium habebat, (cf. eius Opp. Tubing. 1810. Tom. XI. p. 223 ss.) id tamen a reliquis usurpatum autumasse non videtur; cf. Opp. Tom. XI. p. 235 s.

5) Corrodi: Versuch einer Beleuchtung des jüd. und christl. Bibelcanons, II. p. 147 ss. Feilmoser: Einl. in die BB. des N. B. 1810. p. 52 ss. 72. 104. Seiler: Dissertatt. II. de tempore et ordine, quibus tria evangg. priora scripta sunt, 1805. 1806.

6) Bolten: Bericht des Matth. v. Jesu dem Messia, 1792. praef. p. 6. 13 s. Bericht des Markus etc. 1795. praef. p. 5. 31. ss. Bericht des Lukas etc. 1796. praef. p. 15 ss.

7) Grotius: Annotatt. in N. T. 1735. I. p. 13. 674. Mill: N. T. graec. 1723. p. 12 ss. Wetstein: N. T. graec. 1751. p. 223 s. 552. 643. Owen: Observations of the four Gospels, 1764. p. 32 ss. 53 ss. Townson: Ueber die vier Evangg. mit Anmerkk. v. Semler, 1783. I. p. 275. II. p. 1 ss. Stroth: Von Interpolationen im Evang. Matth. in Eichhornii Repertorio, IX. p. 144. Griesbach: De fontibus, unde evangelistae suas de

Marci[8]), tertius denique de Lucae commentario censet[9]).

At enimvero haec omnia permultis laborant difficultatibus; primitivi enim evangelii defensoribus haec recte obiici poterunt: Primum quod historia de eiusmodi fonte communi prorsus silet, aliquid comminisci idque ubi nodus alia ratione, quam infra describemus, eaque simplicissima expediri queat supponere omnino non licet. Deinde ea sententia tanti artificii est et subtilitatis, nullo ut modo commendari possit; quot enim quantaeque coniecturae pariter artificiosae praeterque rem factae istius opinionis fautoribus sint admittendae, quis est ignarus? Nonne si uno, ut affirmant, evange-

---

resurrectione domini narrationes hauserint, in eius Opusculis, II. p. 241 ss. eiusdemque commentatio, qua Marci evang. totum e Matth. et Luc. commentariis esse decerptum monstratur, Opusc. II. p. 358 ss. Ammon: De Luca emendatore Matthaei, 1805. Benzenberg: Theoll. Nachrichten, 1809. p. 226 ss. Theile: De trium priorum evangg. necessitudine, 1825. coll. diario: Neues kritisches Journal herausg. v. Winer und Engelhardt, V. p. 385 ss. VI. p. 1 ss. Saunier: Ueber die Quellen des Evang. Marci, 1825. Hug: Einl. ins N. T. 1826. II. p. 96 ss. de Wette: Einl. in d. N. T. 1830. p. 149 s. Schott: Isagoge in N. T. 1830. p. 33 ss. 55 s.

8) Storr: Ueber den Zweck der evang. Gesch. und der Briefe Johannis, p. 274 ss. idemque de fonte evangeliorum Matthaei et Lucae in commentt. theoll. editt. a Velthusenio, Kuinoelio et Rupertio. III. p. 140 ss.

9) Büsching: Harmonie der Evangg. 1766. p. 99. 109 ss. 118 ss. Evanson: The dissonance of the four generally received Evangelists, 1792. Vogel: Ueber die Entstehung der drei ersten Evangg in Gableri Journal für auserlesene theol. Litteratur, 1804. I. p. 1 ss.

listae utebantur fonte, permirum videtur, quod in rebus Christi cum enarrandis tum digerendis suo quisque modo a reliquis discrepat? Dices, non eandem omnibus rerum a Christo gestarum notitiam fuisse. Sed qui melius nosset, cur idem ad alium fontem minus liquidum se convertit, quidni e sua penu satius instructa historias depromere maluit, cur denique auctori, quem iam semel pluriesve falsum deprehendisset, fidem tribuere pergebat? Cuiusmodi dubitationes remoturi in id refugium se recepere nonnulli, ut illud evangelium primitivum iterum iterumque pertractatum et ita permutatum esse dictitarent, ut novae eius quasi recensiones inde enascerentur, quorum illa alter, alter hac uteretur evangelista. Verum ut taceam tanta scribendi rabie, quanta nostra, illam aetatem non occupatam fuisse, quisquamne est, qui omnes quotquot sic exstitissent recensiones ita periisse opinetur, ut ne vestigium quidem posteritati relinqueretur? In easdem sane et isti incurrunt difficultates, qui nostros evangelistas aut evang. quoddam hebr. aut evang. Matthaei litteris hebrr. an graecis consignatum, eoque quod in canone habetur angustius, suis commentariis fundamentum posuisse putant [10]).

Qui vero plura eaque breviora documenta sumunt, e quibus nostra evangelia promanaverint, ii attente perpendant oportet, eiusmodi memorabilia, quippe quorum, quod equidem sciam, nullus scriptor ecclesiae antiquus unquam fecerit mentionem, chartae fuisse mandata multum habere dubitationis, ac si fuerint, valde mirum saltem esse, quod nihil omnino eorum sequenti

---

10) Cf. Hug: Einl. II. p. 86 ss. de Wette: Einl. p. 146 s. Schott: Isagoge in N. T. p. 53.

aevo sit traditum. Quodsi enim plurimas epistolarum Paulinarum, quae, ut quantum fieri posset propagarentur, semper dignae aestimabantur, ad nostram usque aetatem pervenisse in aperto est, nonne ut etiam ex illis si qua fuissent, compositis aut ab apostolis aut a discipulis eorum monumentis nonnullae certe particulae quamvis exiguae nobis conservarentur, futurum fuisse recte iudicaveris? Alia quoque evangelia eaque integra periisse, nostram sententiam impugnaturus obiicias cave; ea enim maximam partem fuere haeretica, quae ab orthodoxis, qui pro sua doctrina velut pro aris et focis dimicabant, ex ecclesia quantum licebat exterminata et perdita sunt. Quam namque paucula librorum haereticorum fragmenta nobis relicta sint, ecquis est quem fugiat? Quo denique accedit, quod evangelistas, qui, dum apostoli in vita erant, commentarios suos exaraverint, res litteris consignandas e fonte scripto, quam ab apostolis ipsis, qui nunquam a Christi latere discesserant quorumque nonnulli forsan etiamtum in vita erant, reportare maluisse veri admodum est dissimile.

Contra eos denique, qui alterum alterius commentarium legisse et consuluisse statuunt, haec fere monenda sunt [11]: Quoniam evangelistae haud raro inter se discrepant eaque discrepantia ut e negligentia quadam scriptorum apte derivari queat tantum abest, ut de consulto admissa compareat, unum alterius libro usum esse credi vix potest; alioqui licentiae aequo ma-

---

11) Cf. Eichhorn: Einl in d. N. T. II. p. 395 ss. Hänlein: Einl. III. p. 24 ss. Bertholdt: Einl. III. p. 1127 ss. I. E. Ch. Schmidt: Einl. I. p. 51 ss. de Wette: Einl. p. 141 s.

ioris sibi sumptae facile arguantur. At hanc ipsam rem, dicet aliquis, alterum altero accuratiore rerum a Christo gestarum notitia gavisum probare, ita ut, ubicunque unus a ceteris deflexerit, ibi idem emendatoris vices utique sustinuerit. Equidem sic responderim: Cui lautiorem ita suppellectilem acquirere contigit, ei, cum ipse ad historiam componendam instructior esset aptiorque, ad fontes in quibus multa desiderarentur, nonnulla falsa continerentur se convertere opus omnino non erat [12]).

Rectius igitur alii nostros homines evangelia sua scribentes a fama ore propagata pependisse statuunt [13]), quibus quin adstipulemur nullo nos modo dubitamus;

---

12) E Luc. 1, 1—4. nemo aliud quidquam colligere potest, nisi cum multi iam commentarios de vita Iesu Christi exarassent, Lucam quoque ad idem se accinxisse negotium; imo locutio: »παρακολουθεῖν ἄνωθεν« audita quaecunque animo revolvere significare videtur; de usu autem huiusmodi fontium altum silentium.

13) Praeivit quodammodo Irenaeus adv. Haer. III. 1. p. 198. ed. Grabii. »Non enim, aiens, per alios dispo»sitionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per »quos evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc »praeconiaverunt, postea vero per dei voluntatem in »scripturis nobis tradiderunt, — — postea exierunt in »fines terrae, ea quae a deo nobis bona sunt evangeli»zantes et coelestem pacem hominibus annunciantes.« Herder: Vom Erlöser der Menschen nach unsern drei ersten Evangg. cf. eius Opp. Tom. XI. p. 235 s. XII. p. 13. Eckermann: Theoll. Beiträge, 1796. V. p. 148 ss. 209 ss. idemque: Erklärung aller dunklen Stellen des N. T. 1806. 1. praef. p. 11. Kaiser: Bibl. Theologie, 1813. I. p. 224 ss. Gieseler: Historisch-krit. Versuch über die Entstehung und die frühesten Schicksale der schriftl. Evangg. 1818. p. 59—82. coll. Analectis a Keilio et Tzschirnero editis. III, 2. p. 31—87.

est enim ratio illa simplicissima et ad antiquitatis ingenium convenientissima quam quae maxime commendabilis, ut, quin pauca ad constabiliendam eam addamus, vix manum retinere possimus. Ac primum ingenii et conditionis apostolorum praecipua ratio est habenda: erant quippe duobus tribusve exceptis ad unum omnes homines simplices et impoliti, compositis sane moribus atque severis, ab omni vero litterarum genere remoti, (unde Act. 4, 13. *ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται* compellantur,) iidemque maximam partem artis scribendi forsan imperiti [14]). Fuerunt quidem et ex iis qui scriberent, sed minime ista qua nostra laborat aetas scribendi libidine exagitati, sed una necessitate coacti, ecclesiis ipsis desiderantibus [15]). Quo iam concesso, (est autem tam certum, ut probationis aliunde petitae nequaquam indigeat,)

---

14) Recte hac de re sentit EUSEBIUS Hist. Eccles. III, 24. p. 178. ed. Zimmerm. *οἱ θεσπέσιοι καὶ ὡς ἀληθῶς θεοπρεπεῖς, φημὶ δὲ τοῦ Χριστοῦ τοὺς ἀποστόλους, τὸν βίον ἄκρως κεκαθαρμένοι καὶ ἀρετῇ πάσῃ τὰς ψυχὰς κεκοσμημένοι, τὴν δὲ γλῶτταν ἰδιωτεύοντας κτλ.* Cf. KRUMMACHER: Ueber den Geist und die Form der evang. Geschichte, 1805. KÜCHLER: Commentatt. II. de simplicitate scriptorum sacrorum in commentariis de vita Iesu Christi, 1827. SANDER: Ueber den eigenthümlichen Plan, dem die Evangelisten bei Abfassung ihrer Evangg. gefolgt sind, 1827.

15) Quod idem iam ecclesiae patribus videbatur; cf. EUSEBII H. E. III, 24. p. 178. »*οὓς καὶ* (scil. *Ματθαῖον καὶ Ἰωάννην*) *ἐπάναγκες ἐπὶ τὴν γραφὴν ἐλθεῖν κατέχει λόγος.* — — — *σπουδῆς τῆς περὶ τὸ λογογραφεῖν μικρὰν ποιούμενοι φροντίδα.* Idemque et Marcum ut evangelium scriberet a Romanis rogatum perhibet, H. E. II, 15. p. 98. nec non CLEMENS ALEX. apud Euseb. H. E. VI, 14. p. 413.

elucet, eos ad libros perscrutandos, diiudicandos, exscribendos parum idoneos fuisse; quod nimirum cum doctiorum sit, de Livio facilius dixeris, quam de evangelistis; quae potius vel adspexerant vel audiverant admiratique penitius in animis impresserant, ea simplicissima via sermone nullo orationis flore convestito referebant; atque etiam de apostolorum discipulis eorumque scribendi more idem valere iudicium non est quod copiosius exponamus. Ecce tibi summae istius convenientiae fontem et causam; etenim quotiescunque apostoli convenissent aliique una essent, toties certe de Christo eiusque egregie dictis factisque ab uno alterove sermo habebatur, qui alio deinde tempore aliis aggressis ab eodem seu ab alio apostolo, in quo ceterum orationis omnis flos et color desiderabatur, iisdem fere verbis eodemque ordine repetebatur. Optimum, opinor, huius rei firmamentum praebet ista conversionis Pauli historia ter in Actis cp. 9, 2 ss. 22, 6 ss. 26, 12 ss. enarrata, neque tamen altera relatio ab altera ita valde discedit, ut proprium quendam colorem ducere videatur. Illum eundem morem apostoli, cum doctrinam Iesu Christi propagaturi itinera facerent, quocunque ecclesiarum venissent, secuti sunt, nec eorum, quos vel illi comites habebant vel rei christianae studium in coetus christianos compellebat, plurimos quae audiverant omnia ad verbum paene renarrare valuisse, in dubium ullo pacto vocari potest. Quanta enim fuerint veteres memoria, historia satis testatur [16]), quanta permulti iique

16) Vide sis quae de THEODECTE a Quinctil. Institt. Orat. XI, 2. et ab Aeliano H. A. VI, 10., quae de CINEA a Seneca Controv. prooem. et a Plinio H. N. VII, 24., quae de HORTENSIO a Cicerone Brut. 88. et a Seneca Controv. Prooem., quae denique de CARNEADE,

ipsi ex plebe hodieque sint, experientia addocet; non enim raro accidit, ut qui oratorem in sacris attente audiverint, singulas orationis particulas ad verbum ferme repetere queant. Quidni igitur evangelistae, quos vel pluries eundem sermonem pronis auribus accepisse vero haud absimile est, idem praestiterint?

Quo denique accedit, quod in singulis quibusque ecclesiis constituti erant *εὐαγγελισταί*, quorum servatoris vitam coetui Christianorum congregato enarrare fuisse videtur; tales in nonnullis etiam N. T. locis commemorantur, ut Act. 21, 8. ubi Philippus, diaconus ecclesiae quae Hierosolymis floruit, *εὐαγγελιστής* appellatur. Ephes. 4, 11. ubi Paulus munera quibus ecclesiarum antistites fungebantur dinumerans, *καὶ αὐτός*, inquit, *ἔδωκε τοὺς μὲν ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας, τοὺς δὲ εὐαγγελιστάς, τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους κτλ.* idemque 2 Tim. 4, 5. Timotheum ad-

---

SCEPSIO et METRODORO a Quinctil. l. l. XI. referuntur; cf. MAR. D'ASSIGNY: Wahrhaftige Gedächtnißkunst, aus d. Engl. ins Deutsche übers. von M. Castens, 1720. p. 34 ss. Iuvat huius rei exemplum in medium proferre ex Irenaeo (cf. Euseb. H. E. V, 20. p. 360 s.) desumptum, qui ita de Polycarpo, praeceptore suo, disserit: » — — *μᾶλλον τὰ τότε διαμνημονεύω, τῶν ἔναγχος γινομένων. — — ὥστε με δύνασθαι εἰπεῖν καὶ τὸν τόπον ἐν ᾧ καθιζόμενος διελέγετο ὁ μακάριος Πολύκαρπος καὶ τὰς προόδους αὐτοῦ καὶ τὰς εἰσόδους καὶ τὸν χαρακτῆρα τοῦ βίου, καὶ τὴν τοῦ σώματος ἰδέαν, καὶ τὰς διαλέξεις, ἃς ἐποιεῖτο πρὸς τὸ πλῆθος· — — καὶ ὡς ἀπομνημόνευε τοὺς λόγους, αὐτῶν* (scil. *τῶν ἀποστόλων*) *καὶ περὶ τοῦ κυρίου τίνα ἦν ἃ παρ᾽ ἐκείνων ἀκηκόει — — ὡς ἀπήγγελλε πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς. Ταῦτα — — ὑπομνηματιζόμενος οὐκ ἐν χάρτῃ, ἀλλ᾽ ἐν τῇ ἐμῇ καρδίᾳ.*« Quae omnia quin ita se vere habuerint equidem non dubitaverim.

hortatur, ut evangelistae administret negotium, ἔργον ποίησον εὐαγγελιστοῦ. Quos ergo vitae Iesu enarratores audire cum nostris evangelistis illis apostolorum ecclesias lustrantium comitibus saepe contigisset, audita deinde litteris consignare levi potuerunt opera, ita ut a scriptis fontibus sua repetere opus non haberent. Nostrae rei favet etiam locus 2 Thess. 2, 15. ubi de doctrina ore tradita sermo est: κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν.

Neque aliud docet evangeliorum ipsorum indoles; sententiae enim quas auctor maxime in deliciis habebat iterum iterumque repetitae: materiei pertractatio a suo cuiusque arbitrio pendens: addita nonnulla, alia omissa: unus adeo alteri aliquoties adversans et contradicens: suum cuique simul scribendi genus. Quid quod talia evangelistis mutuo se exscribentibus unquam accidere potuisse omnibus modis negamus, narrationum series cunctis prope una et eadem quidquam offendit; annon enim, qui incredibili doctoris divini reverentia et amore correpti nunquam non eum comitabantur, omnia praeclare ab eo facta narrare potuerint? annon dein apostolorum discipulis, ipsis nimirum domini amantissimis, quae identidem renarrata audivissent, ea ad litteram ferme eodemque ordine perscribendi fuerit facultas?

Idcirco male faciunt, qui ad eam rei explicandae rationem confugiunt, quae nostrae quidem aetati belle congruat, minus antiquitati, minime vero evangelistarum qua utebantur conditioni; ubi enim difficultates infringi queunt, ne augentor, ut ne nodus in scirpo quaeri videatur. Equidem cum, quam paucis descripsi modo viam, hac ipsa difficultates qualescunque facilius removeri persuasissimum habeam, non possum quin eam ingrediar atque persequar.

§. 2.

De fontibus, quibus Marcus usus esse videtur.

Marcum commentarios suos exarantem ab aliorum libris pependisse plurimi consentiunt; qui tamen libri quorum fuerint indicantes mire distrahuntur. Alii enim solum Matthaei evangelium nostro fontem assignant [1]), alii idem de Lucae evangelio sentiunt [2]), alii denique utrumque Marco ducem et auctorem fuisse contendunt [3]). Quae tamen res quam exilibus niteretur argumentis cum iam supra, uti vires ferebant, demonstratum sit, non amplius a nobis attingetur.

---

1) Facem praetulit AUGUSTINUS: De consensu evangelistarum I, 2. »non autem habuit tanquam breviatorem »coniunctum Lucas, sicut Marcum Matthaeus,« et cp. 4. »Marcus Matthaeum subsequutus tanquam pedissequus »et breviator eius videtur.« Adstipulati sunt: GROTIUS, MILL, WETSTEIN, TOWNSON, SEILER, BENZENBERG, HUG in libb. supra §. 1. not. 7. laudatis.

2) VOGEL in libro §. 1. not. 9. citato.

3) OWEN, GRIESBACH, STROTH, AMMON, THEILE, SAUNIER, DE WETTE, SCHOTT, BÜSCHING, EVANSON in libb. §. 1. nott. 7. et 9. laudatis; quibus addendus FRITZSCHE in Comment. in evang. Marci, 1830. prolegg. p. 29 ss. 35 ss. qui mire aliquantum sic disputat p. 47.: »Hoc tantummodo certo dici potest, Marci novissimum »esse Evangelium, quippe cuius auctor Matthaei, Lucae »et Johannis commentarios in consilium adhibuerit.« Quod tamen ipsum nullo modo satis exactum autumo. Cur tandem enim Marcus maxime, nec alius evangelista, novissimum scripsit evangelium? Idcirco ista opinio, ut quae meris nitatur coniecturis adhuc non probatis, nisi firmiora argumenta accesserint, nunquam nullius ponderis non erit. Idemque qui e duodecim tredecimve verbis Marco cum Iohanne communibus (cf. pro-

Iam vero alii e quibus Marcus sua haurire potuerit significandi sunt fontes, quos tamen non omnes promiscue, sed eos potissimum qui praecipuum aliquod momentum habere videntur in censum vocabimus [5]). Ac primum quidem Marcus a matre sua Hierosolymis habitante permulta de vita Iesu Christi memoratu digna comperire potuit; eam enim cum apostolis, quos hospitaliter ac peramanter excipere consuevisse videtur (cf. Act. 12, 12.), familiaritatem quandam contraxisse extra dubitationem est. Haec igitur, quae non solum

legg. p. 40 s.) illum huius evangelium in consilium adhibuisse sibi persuadere potuerit, equidem haud perspicio. Neque enim ipsi illi loci, e quibus opinio ista promanavit, Iohannem apud et Marcum omnino inter se conveniunt. Etenim Iohannes cp. 19, 15. habet: *λέγει αὐτοῖς ὁ Πιλάτος· τὸν βασιλέα ὑμῶν σταυρώσω;* Marcus vero cp. 15, 12.: *ὁ δὲ Πιλάτος ἀποκριθεὶς πάλιν εἶπεν αὐτοῖς· τί οὖν θέλετε ποιήσω, ὃν λέγετε βασιλέα τῶν Ἰουδαίων;* quem igitur longe alia Pilati exhibere verba luce clarius est. Non minus false idem crucis inscriptionem a Marco ex evangelio Iohannis surreptam esse contendit; ea enim apud Iohannem cp. 19, 19. haec est: *Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος, ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων.* apud Marcum vero cp. 15, 26.: *ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων.* Ceterum inde, quod vel hic evangelistae discrepant, nostrae rei haud parum probationis enascitur.

4) An Marcus in numero LXX discipulorum Christi fuerit, quaestio est admodum implicata; verum affirmat hoc Adamantius, (qui num Origenes ipse fuerit adhuc ambigitur,) in dial. de recta in deum fide s. adv. Marcionitas, quem de la Rue in sua Opp. Origg. edit. Paris. 1733 ss. Tom. I. p. 806 ss. adiunxit, hisce verbis: »*Μάρκος οὖν καὶ Λουκᾶς ἐκ τῶν οβ' ὄντες*« *κτλ.* Nec non Epiphanius adv. Häres. 51, 6. »*οὗτος δὲ (ὁ Μάρκος) εἷς ἐτύγχανεν ἐκ τῶν ἑβδομηκονταδύο τῶν διασκορπισθέντων*« *κτλ.*

Iesum nosset reique christianae fautrix esset, verum etiam Christi praecepta sequeretur, omnia quae vel ipsa adspexerat vel undecunque didicerat cum filio communicare optime potuit.

Deinde etiam reliquae feminae in historia evangelica commemoratae, Maria Magdalena, Maria Iacobi minoris mater, Salome Zebedaidarum genitrix aliaeque, quae omnes non modo Iesu doctrinae favebant, sed etiam ad eius societatem ita se applicuerant, ut absolutam fere rerum ab eo gestarum notitiam sibi comparare possent, Marco forsan duces exstiterunt; eas enim cum matre Marci coniuncte vixisse, subinde convenisse deque rebus christianis sermones contulisse, num veri ita valde est dissimile? Quo posito, (est enim res ita perspicua, ut disputationis non amplius egeat,) nonne Marcum, qui eiusmodi coetibus interesset, maiorem inde vitae Iesu notitiam licuerit consequi?

Tum vero apostolos ipsos eosque prae ceteris nostro evangelium scripturo auctores fuisse, equidem non dubitaverim; eos enim cum Marci matre necessitudine quadam coniunctos locus Act. 12, 12. (ἦσαν ἱκανοὶ συνηθροισμένοι καὶ προσευχόμενοι,) satis superque docet; eosdemque de domino ex ipsorum conspectu elapso saepissime sermones conserentes permulta Marco subministrare potuisse pariter certum est.

Seriore autem tempore nostro consuetudo erat cum Paulo apostolo, qui cum Barnabae comes eranum Hierosolyma detulisset, hinc illum Antiochiam secum duxit, (cf. Act. 12, 25.) cum eoque socio primum religionis christianae propagandae iter ingressus est; (cf. Act. 13, 5.) Marcus etsi ad tempus Paulo derelicto, (cuius rei causam videbis Act. 15, 36 ss.) Barnabae itineris comes ac socius erat, serius tamen iterum cum Paulo, a quo Caesareae in carcere retento Colossensi-

bus (Col. 4, 10.) et Philemoni (Phil. 24.) commendatur, societatem iniisse videtur; imo verisimile est, eum Romam quoque se contulisse, quo Paulus cum deductus esset, Timotheo in epist. II. cp. 4, 11. mandavit, ut Romam venturus Marcum secum duceret, (*Μάρκον ἀναλαβὼν ἄγε μετὰ σεαυτοῦ*). At obiiciat aliquis, ne Paulum quidem ipsum, qui quamdiu praeceptor divinus his in terris versaretur ab eo nunquam non abhorreret, omnem eius vitam ita habere potuisse compertam, ut luculentam quandam rerum gestarum imaginem adumbrare posset. Cui nos: Quamvis ille a Pharisaeis educatus edoctusque iuvenili aetate omnem lapidem movebat, ut doctrinam christianam Christianosque ipsos exstirparet, eius tamen quem persequeretur doctrinam studiaque eum habere cognita atque perspecta oportebat? Nonne aliquibus causis, illis quantumvis falsis omninoque reprobandis, ut rei christianae tam acriter resisteret, commotus esse videtur? Quae vero nisi e doctrinae Christi ratione Pharisaeorum auctoritatem subversura ideoque iis maxime odiosa unde fluxerint, nemo quisquam facile explorarit. Quocirca quin Paulo, qui Christianis quam plurimas maximasque calamitates inferre omnibus modis eniteretur, et doctrina et vita Christi probe suppetierint nulli subiectum autumo dubitationi. Idemque, cum dein Christo dedisset nomen, inexplebili religionis propagandae studio, incredibili virium intentione hoc illud agere coepit, ut regnum divinum indies augeret, amplificaret, constabiliret. Talem igitur virum quis est, qui tot et tanta rerum discrimina fortissimo animo perpessum, nec unquam inde a primo ad religionem christianam accessu ad extremum halitum usque a Christo aliquantum desciscere ausum eius, propter quem ita desudaret, vitam scivisse negare velit? Harum vero rerum ut notitiam omni ex

parte absolutam ansequeretur, facile profecto effecit; nam quotiescunque poterat eique licebat, toties festum paschale concelebraturus Hierosolyma se contulit ibique eum ceteros qui a Christi latere nunquam discessissent apostolos conveniret, iis de rebus quibus ipse non interfuit edoceri levi potuisse opera videtur, (cf. Act. 9, 28. 18, 21. 21, 17. coll. 20, 16. Gal. 1, 18 ss. 2, 1.) Cuius quidem rei optimum apostolus testimonium ipse exhibet 1 Cor. 11, 23 ss. ita de coena sacra disserens, ut servatoris non solum vitam, verum etiam dicta praeceptaque ei probe nota fuisse dubitari vix possit. Sic igitur Paulus egregie instructus et ipse evangelium conscribere et alii ad idem sese accincturo negotium faustis ominibus succurrere certusque auctor existere potuit.

Iam venio ad Petrum apostolum eumque, quippe cui familiarissime Iesu Christo uti contigerit, omnium accuratissimam eius vitae descriptionem perhibere potuisse contendo; ei enim eum Zebedaei filiis, Iohanne et Iacobo, omnibus rebus a domino praeclare gestis interesse licebat; eos ipsos magister filiolam Iairi in vitam revocaturus domum intrare iussit, (Mc. 5, 37. Luc. 8, 51.); eos ipsos montem ascensurus illamque transfigurationem accepturus adsumpsit, (Mt. 17, 1. Mc. 9, 2. Luc. 9, 28.); eos ipsos denique nocte illa pavoris plena ceteris discipulis relictis in horti duxit secessum, (Mt 26, 37. Mc. 14, 33.). Atqui Marcum cum Petro consuevisse eiusque discipulum periculorumque socium fuisse patres ecclesiastici a summa usque memoria contestantur [5]), ipsumque N. T. probare vi-

5) Huc pertinent Papias apud Euseb. H. E. III, 39. p. 214. Clemens Alex. ap. Euseb. H. E. VI, 14. p. 413. Irenaeus adv. Här. III, 1. p. 198 s. ed. Grabe et

detur; apostolus namque in sua epistola, (priorem dico Petri,) cp. 5, 13. Marcum compellat filium suum. Ea de re quamvis ambigatur, ii tamen qui sub verbo „υἱός“ discipulum illumque ipsum, qui in Actis nunc Iohannes, (cp. 13, 5. 13.) nunc Marcus, (cp. 15, 39.) nunc Iohannes Marcus, (cp. 12, 12. 25. 15, 37.) appellatur, intelligunt, quin recte sentiant equidem nullus dubito; exstant enim in N. T. similia; etenim Paulus quoque apostolus Timotheum, 1 Cor. 4, 17. 1 Tim. 1, 2. 18. 2 Tim. 1, 2. 2, 1. Titum, cp. 1, 4. Onesimum, Phil. 10. et Corinthios 1 Cor. 4, 14. „τέκνα“ nominat, Galatasque cp. 4, 19. verbo „τεκνία“ alloquitur. Sic etiam Christus discipulos nunc „τεκνία“ Ioh. 13, 33. nunc „τέκνα“ Mc. 10, 24. sic Iohannes lectores suos 1 Ioh. 2, 1. 12. 28. 3, 7. 18. 4, 4. 5, 21. „τεκνία“ vocat; quo etiam referenda est cuiusdam sapientiae doctoris allocutio: בֵּן υἱός in Prov. cp. 1, 8. 10. 15. 2, 1 all. Quidni itaque et Petrus discipulum suum υἱόν appellaverit? Ast quanta Petri in Marcum commentarios suos scribentem fuerit auctoritas disceptatur; audiendi sunt patres, quorum alii quae Petrus narrasset nunciassetve Marcum memoriae mandasse inque unum corpus

---

ap. Euseb. V, 8. p. 330. hicque ipse II, 15. p. 98. Tertullianus adv. Marcion. V, 4. Vol. I. p. 194. ed. Semleri Hal. 1770. Hieronymus Catal. virr. illust. I. 8. et epist. 120. ad Hedibiam. Haec omnia patrum testimonia Fritzsche (praeeunte Griesbachio cf. eius Opuscc. II. p. 422.) l. l. p. 25 ss. commenta esse dictitat et p. 31. sic disputat: »Quare ne illud quidem cre»dendum, Marcum dum librum suum exararet Petri au»ctoritati quocunque modo obnoxium fuisse.« Sed V. D. ubi tot tantisque patrum testimoniis fides abrogatur, historiam ibi ecclesiasticam, qua pristina cognoscantur, nullam iam esse meminisse non videtur.

redacta posteritati tradidisse statuunt [6]), alii autem eundem quae Petrus dictaret calamo excepisse dicunt [7]).

---

6) Sic Papias l. l. »καὶ τοῦθ' ὁ πρεσβύτερος ἔλεγε· Μάρκος μὲν ἑρμενευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν« κτλ. Clemens Al. l. l. »— — τοῦ Πέτρου ἐν Ῥώμῃ κηρύξαντος — — τοὺς παρόντας πολλοὺς ὄντας παρακαλέσαι τὸν Μάρκον ὡς ἂν ἀκολουθήσαντα αὐτῷ πόῤῥωθεν καὶ μεμνημένον τῶν λεχθέντων ἀναγράψαι τὰ εἰρημένα.« Irenaeus l. l. »μετὰ δὲ τὴν τούτων (scil. Παύλου καὶ Πέτρου) ἔξοδον Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμενευτὴς Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε« κτλ. Eusebius l. l. qui Marcum narrat a Romanis esse rogatum, ὡς ἂν καὶ διὰ γραφῆς ὑπόμνημα τῆς διὰ λόγου παραδοθείσης αὐτοῖς καταλείψοι διδασκαλίας. Quod ex parte saltem vel ii concedunt, qui alias nostrae sententiae non favent, uti Griesbach in Opusc. II. p. 423. »Unice hoc concedi forte potest, Marcum eas rerum περιστάσεις, quibus »passim Matthaei et Lucae narrationes locupletavit, a »Petro accepisse; quamquam nec hoc satis certum sit; »nam ex alio etiam fonte derivatae esse possunt.« At ex quonam quaeritur. Minus recte vero de illo Irenaei loco ita statuit idem: »Sed idem Irenaeus plane simil»lima de Luca quoque perhibet: »»Lucas, sectator »»Pauli, quod ab illo praedicatur evangelium in libro »»condidit.«« Posterius hoc falsum esse et absonum, »fatentur paene omnes. Cur igitur prius illud ab Irenaeo »persuaderi nobis patiamur?« At vero primo loco, utrum sub verbo »evangelium« apud Irenaeum historia evangelica an doctrina s. institutio christiana sit intelligenda non satis liquet; deinde autem tametsi Irenaeus uno loco falsi quid proposuisset, inde tamen eum et aliis quibuslibet locis falsa accumulasse neutiquam sequeretur.

7) Origenes in Commentariis in evang. Matth. Tom. III. p. 440. ed. de la Rue. »— δεύτερον (scil. εὐαγγέλιον) δὲ τὸ κατὰ Μάρκον ὡς Πέτρος ὑφηγήσατο αὐτῷ ποιήσαντα·

Quorum his utpote audacioribus ut adsentiar nullo a me impetro modo, verum illis cur non adstipuler, nullam video causam. Sed utut haec res se habeat, id saltem omni controversia carere videtur, nostrum evangelistam ab ore Petri pependisse et plurima, quae in evangelio memoriae proderet, ab eo forsan accepisse.

Quibus denique adnumerandus est Barnabas apostolus, qui haud dubie ita erat instructus, ut res a Christo gestas historiae mandare facile quiret. Mature enim societatem quandam cum apostolis iniisse, (Act. 4, 36 s.) iisque perquam familiariter usus esse videtur (cp. 9, 27.) Deinde a Christianis Hierosolymitanis, qui Graecos quoque Antiochiae doctrina christiana institui audiverant, quo illius ecclesiae statum inspiceret ablegatus (cp. 11, 22 ss.) eodemque honore ab ipsis Antiochenis Christianis iterata vice affectus est, (cp. 13, 1 ss. 15, 2.). Cui proinde si quis negarit vitam Christi omni ex parte notam fuisse vehementer profecto erraverit. Atqui Marcus, Barnabae consobrinus, (cf. Col. 4, 10.) itinerisque socius, (cf. Act. 12, 25. 13, 5. 15, 39.) quin multa ab eo compererit, vix ac ne vix quidem addubitaverim. De evangelistis in singulis ecclesiis constitutis cum iam supra dictum sit hoc loco nihil addimus.

Quibus ita perpensis atque expositis quot fontibus quamque limpidis Marcus uti potuerit facile apparet; nec inde quin nostram sententiam, quae implicatissi-

---

cf. Euseb. H. E. VI, 25. p. 434. TERTULL. l. l. »licet »et Marcus quod edidit Petri affirmetur, cuius inter- »pres Marcus.« HIERON. l. l. »Habebat ergo (scil. »Paulus) Titum interpretem, sicut et beatus Petrus »Marcum, cuius evangelium Petro narrante et illo scri- »bente compositum est.«

mum quemque nodum facillime expediat, rectam habeamus, contrarias autem minus firmiter constabilitas iudicemus, fieri posse putamus.

Iam vero ad rem ipsam progressuri breviter significabimus, quam placuerit insistere viam; primum, ne quid desideretur vel consulto praetermissum videatur, eos locos, ubi tres priores evangelistae ad verbum consentiunt, enumerabimus deque iis quid statuendum sit indicabimus. Deinde autem commentatio ipsa in tres partes dividenda erit, quarum prima de iis, quae Marcus solus habet, secunda de iis, quae apud eundem desiderantur, a reliquis autem perhibentur, et tertia denique de iis, quae in evang. Marci reliquis evangg. vel repugnant, vel ab iis aliquo modo discrepant, disquisitio instituetur.

§. 3.

Summa omnium convenientia.

Loci, ubi Marcus eadem, quae reliquorum aut uterque aut alteruter habet, ad litteram exhibet, nec sunt ita multi, nec nisi pauca tantum verba complectuntur. Iam vero primo loco Christi effata, altero aliorum oratiunculas et tertio ea, quae e V. T. allegata sunt, ante oculos ponemus. Unde iamiam accipe

1) Christi effata cunctis eadem. Mt. 8, 3. Luc. 5, 13. Mc. 1, 41. θέλω, καθαρίσθητι· alloquitur servator hominem leprosum. — Mt. 9, 9. Luc. 5, 27. Mc. 2, 14. ἀκολούθει μοι· Iesus Matthaeum, ut sequatur, invitat. Mt. 9, 12. Luc. 5, 31. Mc. 2, 17. οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες (apud Luc. οἱ ὑγιαίνοντες) ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες. — Mt. 12, 13. Luc.

6, 10. Mc. 3, 5. ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου. — Mt. 13, 9. Luc. 8, 8. Mc. 4, 9. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω. — Mt. 9, 22. Luc. 8, 48. Mc. 5, 34. θύγατερ· ἡ πίστις σου σέσωκέ σε. quibus tamen verbis Matthaeus cum Luca praemissum habent: θάρσει, quod apud Marc. desideratur. — Mt. 14, 16. Luc. 9, 13. Mc. 6, 37. δότε αὐτοῖς ὑμεῖς φαγεῖν. — Mt. 21, 27. Luc. 20, 8. Mc. 11, 33. οὐδὲ ἐγὼ λέγω ὑμῖν, ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ. — Mt. 24, 19. Luc. 21, 23. Mc. 13, 17. οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. — Mt. 24, 35. Luc. 21, 33. Mc. 13, 31. ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσεται, (Luc. hab. παρελεύσονται,) οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι.

His et alia Marco cum reliquorum alterutro communia subiungi possunt. Mt. 14, 27. Mc. 6, 50. θαρσεῖτε· ἐγώ εἰμι· μὴ φοβεῖσθε. Eadem verba etiam Iohannes, omisso tamen θαρσεῖτε, cp. 6, 20. habet. — Luc. 18, 16 s. Mc. 10, 14 s. ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με· μὴ κωλύετε αὐτά. τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν. — Luc. 18, 19 s. Mc. 10, 18 s. τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ θεός. Τὰς ἐντολὰς οἶδας· μὴ μοιχεύσῃς· μὴ φονεύσῃς· μὴ κλέψῃς· μὴ ψευδομαρτυρήσῃς· (hic Marcus insertum habet: μὴ ἀποστερήσῃς·) τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα. — Luc. 18, 24. Mc. 10, 23. πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελεύσονται. Lucas autem εἰσελεύσονται ante verba: εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ posuit. — Mt. 19, 30. Mc. 10, 31. πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι ἔσχατοι, καὶ ἔσχατοι πρῶτοι. — Mt. 26, 24. Mc. 14, 21. ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑπάγει, καθὼς

γέγραπται περὶ αὐτοῦ. οὐαὶ δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται· καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος. — Mt. 26, 41. Mc. 14, 38. γρηγορεῖτε καὶ προςεύχεσθε, ἵνα μὴ εἰςέλθητε εἰς πειρασμόν· τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σάρξ ἀσθενής. — Mt. 26, 55. Mc. 14, 48. ὡς ἐπὶ λῃστὴν ἐξήλθετε μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων συλλαβεῖν με. —

2) Aliorum verba cunctis eadem. Mt. 19, 27. Luc. 18, 28. Mc. 10, 28. Petrus domino: ἰδού, inquit, ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι. — Mt. 21, 25. Luc. 20, 5. Mc. 11, 31. διὰ τί οὖν οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ; sacerdotes a Iesu quaeritante in angustias adducti sonant. — Mt. 27, 11. Luc. 23, 3. Mc. 15, 2. Σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; Pilatus Iesum interrogat. — Quibus et hi annectendi sunt loci: Luc. 4, 34. Mc. 1, 24. ἔα, τί ἡμῖν καὶ σοί, Ἰησοῦ Ναζαρηνέ; ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς· οἶδά σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ. homo daemoniacus Capharnaumi exclamat. — Luc. 18, 39. Mc. 10, 48. υἱὲ Δαυΐδ, ἐλέησόν με· clamat caecus ille apud Hierichuntem. — Mt. 27, 40. Mc. 15, 29. ὁ καταλύων τὸν ναὸν καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις οἰκοδομῶν σῶσον σεαυτόν· dicunt Iudaei Christum maledictis incessentes. — Mt. 27, 42. Mc. 15, 31. ἄλλους ἔσωσεν, ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι· sacerdotes murmurant Iesum incesto ore lacerantes. — His haud inepte annumerari possit et illud Mt. 17, 5. Luc. 9, 35. Mc. 9, 7. ubi vox coelitus demissa traditur haecce: οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός. (addidit hic Matth. ἐν ᾧ εὐδόκησα,) αὐτοῦ ἀκούετε.

3) Qui e V. T. in N. T. arcessiti deprehenduntur, locorum hos notabiles censemus: Mc. 1, 2. ἰδού, ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου, (hic inferciunt Matth. et

Luc. ἔμπροσθέν σου,) quem quidem locum etiam reliqui, sed alio rerum et nexu et consequentia exhibent, Mt. 11, 10. Luc. 7, 27. cf. Mal. 3, 1. — Mt. 3, 3. Luc. 3, 4. Mc. 1, 3. φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ· ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ. cf. Ies. 40, 3. LXX. — Mt. 21, 42. Luc. 20, 17. Mc. 12, 10. Λίθον, ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας· sic omnes; quae sequuntur Matthaeo tantum cum Marco sunt propria: παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη καί ἐστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν. cf. Ps. 118, 22. — Mt. 22, 44. Luc. 20, 42 s. Mc. 12, 36. κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου· Cf. Ps. 110, 1. coll. 1 Sam. 20, 25. Quibus et addendi videntur loci nostro cum Matthaeo communes: Mt. 15, 8 s. Mc. 7, 6 s. ὁ λαὸς οὗτος (Mc. οὗτος ὁ λαὸς) χείλεσί με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόῤῥω ἀπέχει ἀπ᾽ ἐμοῦ. Ματὴν δὲ σέβονταί με διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων. Cf. Ies. 29, 13. — Mt. 15, 4. Mc. 7, 10. τίμα τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα (post πατέρα et μητέρα Marcus congruenter c. LXX interprett. habet σοῦ) — ὁ κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα θανάτῳ τελευτάτω. Cf. Exod. 20, 12. 21, 16. — Mt. 19, 5. Mc. 10. 7. ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα (hic Mc. insertum habet: αὐτοῦ) καὶ τὴν μητέρα καὶ προςκολληθήσεται τῇ γυναικὶ (apud Mc. πρὸς τὴν γυναῖκα) αὐτοῦ· καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Cf. Deut. 24, 1. [1]). —

---

1) False de illo utriusque consensu iudicat SAUNIER l. l. p. 119. »Uebereinstimmung welche selbst durch die treuste Tradition so lange sie frei ist nicht bewirkt wird, und nur bei traditionellen Instituten möglich wäre.« Plumbeus pugio! Etenim oblitus esse videtur V. D. locum,

Mt. 22, 39. Mc. 12, 31. *ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν*. Cf. Levit. 19, 18. — Mt. 26, 31. Mc. 14, 27. *πατάξω τὸν ποιμένα καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα*. Cf. Zach. 13, 7.

Quos praeter locos vix habebis, quo evangelistas omnino inter se conspirare demonstres [2]); ubique enim, quantulum id cunque sit, inter se discrepant. Exinde vero quid statuendum? Quemadmodum discipulos ab ore magistri pependisse dictaque eius ita in animis insculpsisse, ut nunquam e memoria deponerent, facile concesseris, sic eosdem, quae audivissent maximeque

---

de quo sermo est, e V. T. laudatum esse. Atqui Iudaei ex iisque Christiani quin permultos V. T. locos optima custodiverint memoria quis est qui dubitet? Quidni igitur Marcus quoque cum Matthaeo illum locum, quem saepenumero aut ipsi legissent aut praelectum certe audivissent, ad verbum memoria retinere potuerint, equidem profecto non intelligo. Similiter quod idem ille Saunier p. 120. pro sua opinione efficere voluerit non perspicio; sic enim disputat: »— — offenbar ist die Auffassung des Matthäus die richtigere, und schwerlich würde er sie gefunden haben, wenn er den Markus zur Quelle gehabt hätte, wie aber Markus diese Distinction in den Ausdrücken übersehn können und die vorliegende Erzählung etwas modifizirt wiedergeben ist eher zu begreifen.« At ego contra dico: Marcus si rectius hac de re iudicium apud Matthaeum invenerat, cur non in suum recepit commentarium? Cur, ubi melius quid praesto erat, obscurum et falsum praetulit? Sed nec Matthaei locum novisse nec rectius quid resciisse videtur.

2) Eiusmodi enim loci, ut Mt. 21, 33. — — *καὶ φραγμὸν αὐτῷ περιέθηκε, καὶ ὤρυξεν ἐν αὐτῷ ληνόν, κτλ.* coll. Mc. 12, 1. *καὶ περιέθηκε φραγμόν, καὶ ὤρυξεν ὑπολήνιον, κτλ.* inter quos Saunier l. l. p. 134. pluma haud interesse asseverat, sane extra numerum sunt.

quas brevius conceptas accepissent sententias, postea ad verbum repetere potuisse confitebere. Quae cum ita se habeant, apostolorum quoque discipulos, quae a suis et ipsi magistris de domino edocti essent, eadem ratione renarrare potuisse non negaveris; quocirca profecto non est, quod de consensu illo ita valde mireris. Quo quis enim longius a litterarum genere qualicunque remotus est, eo tenacius ea, quae rescierit, retinet redditque iisdem vel verbis. Item nostrates rustici, quae et Fridericus ille Borussorum rex, quae Napoleon et quisquis sive fama sive ingenio pollet, hac illa occasione dixerit, eorum optime recordantur. Quidni etiam evangelistae Christi sermones, quos avidissime imbiberant, ad verbum repetere potuerint? quidni iidem aliorum verba de Christo, dilectissimo magistro, optima memoria tenuerint?

In locis e V. T. allatis unde consensio exstiterit non est quod commonstrem; quae tamen ne ipsa quidem usquequaque obtinet. Etenim noster cp. 4, 12. non conspirat cum Matthaeo cp. 13, 14 s. qui locum V. T. sec. LXX. ad litteram in suum evangelium excepit; quae res nisi e libero quodam styli usu unde explicari queat equidem non video. Imo vero ipse iste consensus nostram sententiam mirum quantum communit atque tuetur; cum enim N. T. scriptores nullis evolutis collatisque voluminibus e sola memoria V. T. libros citasse in confesso sit, eos qui memoria ita acri vigerent, quae semel pluriesve legissent vel audivissent, facile ad verbum reddere potuisse aegre ambigas.

PARS I.

De iis quae Marcus solus habet.

Quae in solo Marci evangelio continentur, eorum multiplex est genus; alibi enim integrae narrationes, quae apud reliquos desiderantur, a Marco traditae, alibi eventorum ratio penitius perspecta et dilucidius proposita brevesque quaedam sententiae vel insertae vel subiunctae, alibi locus, tempus, numerus et nomen accuratius indicata, alibi personae auctae, sententiae ampliatae, alia in maius elata, alia explicata, alibi denique voces minoris in sensum momenti illigatae; quae ut omnia minutatim persequar atque exponam iam sequitur.

§. 4.

Narratiunculae Marco peculiares.

Primum exstant duae parabolae apud Marcum tantum obviae: cp. 4, 26—29. *καὶ ἔλεγεν· Οὕτως ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, ὡς ἐὰν ἄνθρωπος βάλῃ τὸν σπόρον ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ καθεύδῃ καὶ ἐγείρηται νύκτα καὶ ἡμέραν, καὶ ὁ σπόρος βλαστάνῃ καὶ μηκύνηται, ὡς*

οὐκ οἶδεν αὐτός. Αὐτομάτη γὰρ ἡ γῆ καρποφορεῖ, πρῶτον χόρτον, εἶτα στάχυν, εἶτα πλήρη σῖτον ἐν τῷ στάχυϊ. Ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς, εὐθέως ἀποστέλλει τὸ δρέπανον, ὅτι παρέστηκεν ὁ θερισμός [1]). Et cp. 13, 33—36. *Βλέπετε, ἀγρυπνεῖτε καὶ προςεύχεσθε· οὐκ οἴδατε γὰρ, πότε ὁ καιρός ἐστιν. Ὡς ἄνθρωπος ἀπόδημος ἀφεὶς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, καὶ δοὺς τοῖς δούλοις αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν καὶ ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ καὶ τῷ θυρωρῷ ἐνετείλατο, ἵνα γρηγορῇ. Γρηγορεῖτε οὖν· οὐκ οἴδατε γὰρ, πότε ὁ κύριος τῆς οἰκίας ἔρχεται, ὀψὲ, ἢ μεσονυκτίου, ἢ ἀλεκτοροφωνίας, ἢ πρωΐ· μὴ ἐλθὼν ἐξαίφνης εὕρῃ ὑμᾶς καθεύδοντας· Ἃ δὲ ὑμῖν λέγω, πᾶσι λέγω· γρηγορεῖτε.*

Ecce tibi et alia quaedam a Marco solo relata, ut cp. 7, 32—37. Iesus aliquando hominem *κωφὸν μογίλαλον* ad se portatum sanavit et ita quidem, ut digitos in eius aures iniiceret, linguam tangeret oculisque ad coelum sublatis eloqueretur: *Ἐφφαθά·* quo facto et auditum et vocem aegroto restituit. Quam quidem rem etsi servator divulgatam nollet, homines tamen in summam eius admirationem rapti omni quanto possent studio palam fecere [2]). — Simile quid Marcus cp. 8, 22—26.

---

1) Hanc parabolam dicit GRIESBACH l. l. p. 374. 380. Marco per Matth. 13, 24—30. in memoriam revocatam ab eoque, quia cum antecedentibus et sequentibus magis consentiret suaque non minus brevitate quam elegantia commendabilis esset, substitutam. Hoc ut mittam, priori opinioni obiicio, cohaerentiam omnibus numeris absolutam saepissime apud N. T. scriptores nunc suppetere nunc desiderari, ita ut ex ordine aut interrupto aut observato alterum alterius libro vel usum vel non usum fuisse colligi plane non queat.

2) Eam Marco narratiunculam a Petro forsan traditam fuisse ipse SAUNIER, qui idem alias nostrum dicit Mat-

denarrat. Christus enim cum Bethsaidam venisset, ut caecum quendam hominem ad se adductum tangeret rogatus, pago relicto eius oculos inspexit manibusque ei impositis interrogavit, numquid videret. Respondit ille: se homines velut arbores cernere ambulantes. Iterum inde manibus impositis ei visum restituit [3]).

Tum etiam illud, quod iuvenis iste, cum Iesus comprehenderetur, effugerit, solus Marcus cp. 14, 51. ab oblivione vindicavit: *καὶ εἷς τις νεανίσκος συνηκολούθει αὐτῷ περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ, καὶ κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι· ὁ δὲ καταλιπὼν τὴν σινδόνα γυμνὸς ἔφυγεν ἀπ᾽ αὐτῶν.* Quae res etiamsi non ita magni momenti est, probat certe, historiam evangelicam Marco perbene notam fuisse. — His etiam non male adnumeraveris Mc. 15, 44. ubi noster morte Christi adumbrata ita pergit: *Ὁ δὲ Πιλάτος ἐθαύμασεν, εἰ ἤδη τέθνηκε. Καὶ προςκαλεσάμενος τὸν κεντυρίωνα ἐπηρώτησεν αὐτὸν, εἰ πάλαι ἀπέθανε. Καὶ γνοὺς ἀπὸ τοῦ κεντυρίωνος ἐδωρήσατο τὸ σῶμα τῷ Ἰωσήφ.* Haec videlicet alibi non reperiuntur.

Quae iam narrationes Marco peculiares, utut existimatae erunt, cum praecipue ad propositum faciant, memoratu sane dignae sunt; ita enim accurate vel minutissima quaeque expressa oculisque obiecta sunt, ut non

---

thaei et Lucae evangelia excerpsisse, ingenue fatetur l. l. p. 99 s.

3) De hac narratione GRIESBACH l. l. p. 382. ita indicat: »Hanc fatemur adiectam esse a Marco, nec quidquam »in Matthaeo vel Luca invenimus, quod huic addita»mento h. l. adponendo ansam praebere potuerit.« Itemque SAUNIER l. l. p. 107 s. »Als eine genau überlieferte Anecdote aus jener Zeit müssen wir das Ganze dennoch ansehen.«

legere, sed ipse adspicere tibi videaris. Quodsi vero ea, quae modo attulimus, Marcum per se ipsum habuisse comperta facile concesseris, quid est quod de reliquis rebus ab eodem relatis statuere idem nolis? Sed haec dicta sunto; illud quidem ex mea sententia omni vacat dubio, Marco, ut qui summam cum rebus Christi contraxisset familiaritatem, ad scriptos quos fingunt fontes profugere omnino non opus fuisse.]

§. 5.

Eventorum ratio penitius perspecta et dilucidius proposita brevesque quaedam sententiae additae.

Etsi eorum, quae iam tractaturi sumus, ratio non est ea, quae ad Christi vitam vere cognoscendam multum facere queat, utique tamen nova afferuntur, quibus cum haud raro lux aliqua rebus adspergatur, praeclare a Christo dicta factaque facilius memoriae mandantur latiusque retinentur. Historiam enim Iesu alibi expositam iis, quae a Marco addita sunt, mirum saepe in modum explicari dilucidarive quis negaverit? Ea igitur, quae huc pertinent, enucleaturi hos iam afferimus locos: Mt. 4, 2. Luc. 4, 2. Mc. 1, 13. Illi Iesum a malo genio tentatum esurivisse narrant, hic vero ad eadem verba addit insuper: *καὶ ἦν μετὰ θηρίων.* — Luc. 4, 42. Mc. 1, 35. Ille Christum abiisse *εἰς ἔρημον τόπον* refert, hic adiectum habet: *κἀκεῖ προσηύχετο.* Valde miror, quod Lucas, utpote qui alias preces plurimi aestimare videatur, hoc loco earum nullam facit mentionem. — Mt. 9, 2. Luc. 5, 18. Mc. 2, 3. Omnes hominem paralyticum in lecto cubantem ad Iesum esse portatum perhibent, Marcus autem eum a quatuor hominibus portatum esse simul ait,

(αἰρόμενον ὑπὸ τεσσάρων)[1]. — Luc. 5, 9 s. Mc. 3, 4 s. Iesus adversarios aliquando interrogat, num die sabbati beneficia conferre liceat; sic uterque; in sequentibus vero discrepant, Lucas enim habet: καὶ περιβλεψάμενος πάντας αὐτοὺς εἶπεν· Marcus autem: καὶ περιβλεψάμενος μετ᾽ ὀργῆς συλλυπούμενος ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν λέγει κτλ. — Mt. 12, 15. Luc. 6, 17. Mc. 3, 9. Multos homines Christum esse secutos omnes affirmant, Marcus vero sententiam subiungit hancce: καὶ εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα πλοιάριον προσκαρτερῇ αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον, ἵνα μὴ θλίβωσιν αὐτόν. — Mt. 9, 25. Luc. 8, 55. Mc. 5, 42. Omnes Iairi filiolam revixisse narrant, Marcus autem eam resuscitatam statim ambulasse (καὶ περιεπάτει) etiam memorat. — Luc. 9, 6. Mc. 6, 13. Uterque tradit discipulos a Christo ablegatos evangelium divulgasse aegrotosque sanasse, Marcus more suo adiicit: καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλον καὶ ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀῤῥώστους καὶ ἐθεράπευον. Quod sane memorabile unde descripserit nemo facile dicet. — Mt. 14, 25 s. Ioh. 6, 19. Mc. Mc. 6, 48. Ambo Iesum in mari incessisse testantur, Marcus additum habet: καὶ ἤθελε παρελθεῖν αὐτούς. Idemque vs. 51 s. ita: καὶ λίαν ἐκ περισσοῦ ἐν ἑαυτοῖς ἐξίσταντο καὶ ἐθαύμαζον· οὐ γὰρ συνῆκαν

1) Parum dextre SAUNIER l. l. p. 57. huic loco succurrere studet nuntians: »Die Bemerkung, daß der Gichtbrüchige von vieren getragen sei, ergab sich von selbst, wenn man an die vier Enden eines Bettes dachte« etc. Fuerit ita sane; sed id a Marco ad arbitrium esse excogitatum minime putaverim; perfectiorem potius huius rei notitiam testatur, alioqui etiam duos tantum baiulos et convenientius quidem talis rei rationi commemorare potuisset.

ἐπὶ τοῖς ἄρτοις· ἦν γὰρ ἡ καρδία αὐτῶν πεπωρωμένη. Quorum nec Matth. nec Ioh. locis parallelis quidquam litteris consignavere. — Mt. 14, 34. Mc. 6, 53. Iesum aliquando in terram Gennesaretanam pervenisse uterque nuntiat, Marcus ampliat, καί, inquiens, προςωρμίσθησαν. — Mt. 15, 32. Mc. 8, 3. Christus turbas, quas ne inter viam fame conficerentur timebat, dimittere noluit; sic uterque; id quod Marcus aliquanto fusius describit: τινὲς γὰρ αὐτῶν μακρόθεν ἥκουσι. — Mt. 19, 8. Mc. 10, 10. Soli Marco id peculiare est, quod Iesum a discipulis cum rediissent de re iam pertractata iterum interrogatum narrat καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ πάλιν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ τοῦ αὐτοῦ ἐπηρώτησαν αὐτόν. — Mt. 19, 21. Luc. 18, 22. Mc. 10, 21. Variant evangelistae admodum in referendo Christi cum iuvene colloquio et imprimis noster plura de sua penu habet admista; primum enim illum iuvenem Christo fuisse amatum auctor est: ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας αὐτῷ ἠγάπησεν αὐτόν, deinde adiicit: ἄρας τὸν σταυρόν et denique discipulos sententia magistri de divitibus lata obstupefactos esse commemorat: Οἱ δὲ μαθηταὶ ἐθαμβοῦντο ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ. Ὁ δὲ Ἰησοῦς πάλιν ἀποκριθεὶς λέγει αὐτοῖς· τέκνα, πῶς δύσκολόν ἐστι, τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰςελθεῖν. Quae omnia in locis parallelis frustra quaesieris. Ceteroqui nemo infitias ire poterit, universae sententiae, cuius de vera ratione e Matthaeo tantum et Luca spectata dubitari possit, a Marco τοὺς πεποιθότας scribente lucem adspergi exoptatissimam. — Mt. 20, 17. Luc. 18, 31. Mc. 10, 32. Non minus illa verba: καὶ ἦν προάγων αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς καὶ ἐθαμβοῦντο καὶ ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο· apud solum Marcum leguntur. — Mt. 20, 32. Luc. 18, 40. Mc. 10, 49. Itemque

permulta hic noster praebet a reliquis omissa; hi enim Christum arcessivisse caecum simpliciter narrant, nec quidquam amplius adiectum reperitur, ille vero totam rem fusius depingens sic refert: καὶ στὰς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτὸν φωνηθῆναι. Καὶ φωνοῦσι τὸν τυφλὸν λέγοντες αὐτῷ. Θάρσει, ἔγειραι, φωνεῖ σε. Ὁ δὲ ἀποβαλὼν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ ἀναστὰς ἦλθε πρὸς τὸν Ἰησοῦν. Uti igitur omnis eventorum ad mbratio Marco peculiaris est, ita caecum vestem suam deposuisse a nemine antehac dictum. — Mt. 22, 46. Mc. 12, 37. Marco populum libenter audivisse Iesum asseverante: καὶ πολὺς ὄχλος ἤκουεν αὐτοῦ ἡδέως, Matthaeus talia affert: καὶ οὐδεὶς ἐδύνατο ἀποκριθῆναι αὐτῷ λόγον, οὐδὲ ἐτόλμησέ τις ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἐπερωτῆσαι αὐτὸν οὐκέτι. Idemque a Marco cp. 6, 20. de Herode refertur, a Matthaeo autem cp. 14, 5. omittitur. — Mt. 26, 7. Mc. 14, 3. Ille Christum ab illa muliere unctum simpliciter prodit, hic vero utique accuratior alabastrum pretiosissimo oleo impletum ab ea confractum esse enarrat (συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον); neque Iohannes loco parall. cp. 12, 3. habet, quo simile quid innuat.

Quod dein ad breves istas vel insertas vel subiunctas attinet sententias, primum quaenam Christi oratiunculae a solo Marco perhibeantur verbis nonnunquam in compendia redactis exponam. Mt. 4, 17. Mc. 1, 15. Iesus ad Messianum munus iam accinctus homines ut in regnum divinum intrarent sic invitavit sec. Matth. μετανοεῖτε· ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. sec. Marcum vero paulo secus: ὅτι πεπλήρωται ὁ καιρὸς καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ· μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. — Mt. 9, 5. Luc. 5, 23. Mc. 2, 9. Iesus cum arthriti-

cum Capharnaumi sanare vellet, scribas de ipso, qui remiserit peccata, male sentientes correcturus sec. Mt. et Luc. sic fatur: ἔγειραι καὶ περιπάτει. sec. Mc. autem aliquantum copiosius: ἔγειραι, ἆρον σου τὸν κράββατον καὶ περιπάτει. Magis in perhibendis verbis a Christo ad aegrotum ipsum factis omnes conspirant. — Mt. 12, 8. Luc. 6, 5. Mc. 2, 27. Cuncti evangelistae Messiam sabbati dominum fatentur; Marcus vero aliis reticentibus haec praemittit verba: τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο, οὐχ ὁ ἄνθρωπος διὰ τὸ σάββατον. — Mc. 13, 18. Luc. 8, 11. Mc. 4, 13. Pro se quisque variat; apud Matth. enim Iesus parabolam de seminatore explicaturus sic orditur: ὑμεῖς οὖν ἀκούσατε τὴν παραβολὴν τοῦ σπείροντος· apud Luc. sic: ἔστι δὲ αὕτη ἡ παραβολὴ κτλ. et ap. Mc. denique discipulos, qui verum parabolae sensum elicere sibi nequibant, obiurgat, οὐκ οἴδατε, aiens, τὴν παραβολὴν ταύτην; καὶ πῶς πάσας τὰς παραβολὰς γνώσεσθε; — Mt. 8, 26. Luc. 8, 24. Mc. 4, 39. Mare cum ventis agitaretur procellosis in quietem redactum a Christo narratur, σιώπα, πεφίμωσο, increpante, quae nisi verba apud Mc. nuspiam exstant. — Luc. 9, 10. Mc. 6, 31. Ambo in eo concordant, quod discipuli cum rediissent a magistro in locum quendam desertum abducti sint, sed Marcus quae Christus hac occasione elocutus sit praeterea indicat: δεῦτε ὑμεῖς αὐτοὶ κατ' ἰδίαν εἰς ἔρημον τόπον καὶ ἀναπαύεσθε ὀλίγον. — Mt. 15, 4 ss. Mc. 7, 8 ss. Divinum praeceptorem cum Pharisaeos utpote rebus externis unam omnium maximam tribuere solitos auctoritatem obiurgaret et emendare studeret, sic fatum esse Marcus est auctor: ἀφέντες γὰρ τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ κρατεῖτε τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, βαπτισμοὺς ξεστῶν καὶ ποτηρίων, καὶ ἄλλα παρόμοια

τοιαῦτα πολλὰ ποιεῖτε. Quae verba apud Matth. non habentur. — Mt. 17, 22. Mc. 9, 30. Marcus narrat, Iesum per Galilaeam proficiscentem noluisse, ut nosci- taretur a quopiam, cui nihil Mt. hic habet simile; cf. etiam Mc. 7, 24. 36. 8, 26. c. locc. parall. — Luc. 9, 50. Mc. 9, 39. 41. Discipuli cum hominem mira- cula Christi nomine edentem prohibere conatos sese annuntiassent, a magistro in viam reducti sunt sec. Luc. hisce verbis: *μὴ κωλύετε· ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ὑμῶν, ὑπὲρ ὑμῶν ἐστιν·* Marcus eadem sane exhibens alia tamen adiungit: *οὐδεὶς γάρ ἐστιν, ὃς ποιήσει δύ- ναμιν ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου καὶ δυνήσεται ταχὺ κακο- λογῆσαί με. — — Ὃς γὰρ ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς ποτήριον ὕδατος ἐν ὀνόματι, ὅτι Χριστοῦ ἐστε, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ,* qui idem praeterea post *κωλύετε* habet *αὐτόν.* — Mt. 20, 22 ss. Mc. 10, 38. Cum aliquando Zebedaei filii ce- teris discipulis altiorem dignitatis gradum in regno di- vino appeterent, tanta honoris cupiditate a praeceptore improbata, rectiora edocti sunt hac quaestione: num quod ego idem vos poculum bibere valebitis? sic uter- que; sed Marcus et haec addit: *καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι;* et vs. 39. *καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθή- σεσθε;* Quae quidem etiamsi ipsi Matthaeo in nonnul- lis Codd. assignantur, in vetustissimis tamen libris omittuntur ideoque a Matthaeo abiudicanda sunt. — Quibus et aliorum verba itidem ab uno Marco prodita apte iungi possunt, ut e. g. cp. 13, 1. illa discipulo- rum: *διδάσκαλε, ἴδε, ποταποὶ λίθοι καὶ ποταπαὶ οἰ- κοδομαί·* quae in locis parallelis Mt. 24, 1. Luc. 21, 5. desiderantur; nec non illa mulierum ad sepulcrum Iesu vadentium Mc. 16, 3. coll. Mt. 28, 2 ss. Luc. 24, 2 ss. Ioh. 20, 1 ss. *τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον ἐκ τῆς*

θύρας τοῦ μνημείου; quae nisi apud Marcum non reperiuntur [2]).

Qui loci a nobis allati etsi non omnia, quorum mentio fieri poterat, complectuntur, ad nostram tamen sententiam confirmandam plurimum faciunt; ubi enim alia eaque maioris ponderis argumenta prolata ante fuerint, vel eiusmodi additamenta, quae illis succurrerent, idonea erant. At ut largiamur, nonnulla eorum, quo quae enarrarentur res magis sub adspectum venirent, Marcum arbitratu suo adiecisse, nullo tamen modo omnia proposuimus eodem cadere nobis persuadere possumus.

§. 6.

Marcus in loco, tempore, numero personarumque nominibus indicandis reliquis accuratius versatus.

1) Ad locum quod attinet accuratius a nostro significatum, quae sequuntur commodum hic in censum vocari possunt. Mt. 9, 9. Luc. 5, 27. Mc. 2, 13. Omnes in eo conveniunt, Iesum, cum aliquando diam-

2) Recte quadamtenus de eiusmodi additamentis iudicat Saunier p. 58 s. »Denn gesetzt Marcus wäre ursprünglich und Lucas hätte ihn vor sich gehabt, so sieht man nicht ein, warum Lucas diese einzelnen Bemerkungen nicht benutzt; da sie einmal vorhanden waren, was konnte er für einen Grund haben, sie zu übergehen?« Sed V. D. ut proprio iuguletur gladio ipse dat ansam. Cum enim Lucas quoque eiusmodi res saepe suppeditet, quarum nullam Marcus facit mentionem, sic aliquis poterit quaerere: Cur Marcus iis, quae Lucas plura praebet, usus non est? quae ei in Lucae evangelio talia praesto erant, quanam causa commotus ea praetermisit?

bularet, Levin conspexisse; sed Marcus praeterea locum, ubi conspexit: *παρὰ τὴν θάλασσαν,* definit. — Luc. 6, 17. Mc. 3, 7 s. Uterque refert, Christum magna hominum turba sequente *ἀπὸ πάσης τῆς Ἰουδαίας καὶ Ἱερουσαλὴμ καὶ τῆς παραλίου Τύρου καὶ Σιδῶνος* se recepisse; Marcus autem de sua penu alia insuper addit paucula: *ἀπὸ Γαλιλαίας, ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου.* Quae scilicet e quonam evangelio transscripserit, quaestio sane est subdifficilis. — Mt. 8, 24. Luc. 8, 23. Mc. 4, 38. Uno omnes ore Iesum dum mare aliquando saeva procella iactaretur dormiisse contestantur; Matth. enim habet: *αὐτὸς δὲ ἐκάθευδε.* Lucas: *ἐφύπνωσε.* Marcus autem vividius depingens, quo is loco dormierit, significat hisce simul verbis: *καὶ ἦν αὐτὸς ἐν τῇ πρύμνῃ ἐπὶ τὸ προσκεφάλαιον καθεύδων.* — Luc. 8, 39. Mc. 5, 20. Ille in universum narrat: *καὶ ἀπῆλθε καθ' ὅλην τὴν πόλιν κηρύσσων·* hic vero: *καὶ ἀπῆλθε,* inquit, *καὶ ἤρξατο κηρύσσειν ἐν τῇ Δεκαπόλει κτλ.* Idem paene reperitur Mt. 15, 29. Mc. 7, 31. ubi prior habet: *καὶ μεταβὰς ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς ἦλθε παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας·* posterior vero sic: *καὶ πάλιν ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου καὶ Σιδῶνος ἦλθεν εἰς τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως.* — Mt. 14, 22. Mc. 6, 45. Uterque affirmat, Christum suos impulisse, ut nave conscensa traiicerent *εἰς τὸ πέραν,* sed Marcus adiungit verba: *πρὸς Βηθσαϊδάν* [1]). — Mt. 15, 39. Mc. 8, 10.

---

1) Quam infirmis nitatur argumentis D. Fritzschii (Comment. praef. p. 40.) opinio, Marcum vel Iohannis evangelium in consilium adhibuisse, inde facile apparet, quod Iohannes loco parallelo cp. 6, 17. non Bethsaidam, uti Marcus, sed Capharnaumum commemorat.

Ille Christum pervenisse *εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλά* refert, Marcus autem: *εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά.* Neque tamen magni quiddam interest inter utrumque locum; Dalmanutha namque arx, Magdala autem urbs quaedam appellari videtur. — Mt. 21, 6. Luc. 19, 32. Mc. 11, 4. Agitur hic de loco, ubi asinus a discipulis repertus est, atque Marcus reliquis accuratius depingens sic habet: *εὗρον πῶλον δεδεμένον πρὸς τὴν θύραν ἔξω ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου κτλ.* — Mt. 21, 19. Mc. 11, 13. Ille Iesum dicit conspexisse ficum ad viam, Marcus vero addit: *ἀπὸ μακρόθεν.* — Mt. 27, 27. Mc. 15, 16. Prior habet: *οἱ στρατιῶται τοῦ ἡγεμόνος παραλαβόντες τὸν Ἰησοῦν εἰς τὸ πραιτώριον κτλ.* posterior autem: *οἱ στρατιῶται ἀπήγαγον αὐτὸν ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι πραιτώριον.*

2) Loci, ubi Marcus in tempore indicando reliquis accuratius versatus comparet, hi fere sunt: Mt. 13, 54. Mc. 6, 2. Uterque Iesum cum rediisset in patriam in synagoga docuisse tradit, sed Marcus etiam tempus denotat sic: *καὶ γενομένου σαββάτου κτλ.* — Mt. 21, 17. Mc. 11, 11. Ambo Christum urbe exiisse Bethaniam referunt; id quod noster *ὀψίας ἤδη οὔσης τῆς ὥρας* factum asseverat. Ibidem vs. 13. id est notabile, quod Mc. additum habet: *οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων*, quo profecto quando res gesta sit luculentius significatur. — Mt. 27, 36. Luc. 23, 35. Mc. 15, 25. Illis de hora, qua Iesus cruci sit infixus, conticescentibus Marcus tertiam fuisse testatur; neque tamen cum Iohanne sextam horam notante cp. 19, 14. consentit.

3) Numerum etiam Marco melius sciri haec demonstrant exempla: Mt. 8, 32. Luc. 8, 33. Mc. 5, 13. Solus hic Marcus quot fuerint porci Gadareni edicit: *ἦσαν δὲ ὡς δισχίλιοι.* — Mt. 10, 1. Luc. 9, 1. Mc. 6, 7. Solus Marcus duodecim discipulos a prae-

ceptore divino ablegatos fuisse **binos** (δύο δύο) memoriae prodidit, nam quod Lucas habet simile cp. 10, 1. ad septuaginta discipulos spectat. — Mt. 16, 5. Mc. 8, 14. Solus Marcus unum tantummodo panem discipulos secum portasse auctor est: καὶ ἐπελάθοντο λαβεῖν ἄρτους καὶ εἰ μὴ ἕνα ἄρτον οὐκ εἶχον μεθ' ἑαυτῶν ἐν τῷ πλοίῳ. — Mt. 26, 34. Mc. 14, 30. Solus denique Marcus, quoties gallus cecinerit, refert: ἀμὴν λέγω σοι, ὅτι σὺ σήμερον ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι τρίς ἀπαρνήσῃ με. Cf. vs. 68. 72. ubi gallum bis cantasse testatur. Matth. sic habet: ἀμὴν λέγω σοι, ὅτι ἐν ταύτῃ τῇ νυκτὶ πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι τρὶς ἀπαρνήσῃ με. — Quibus locis alios addo duos: Mc. 6, 37. coll. Mt. 14, 17. Luc. 9, 13. et Mc. 14, 5. coll. Mt. 26, 9. Illic discipuli: ἀγοράσωμεν, inquiunt, δηναρίων διακοσίων ἄρτους· hic iidem: ἠδύνατο γάρ, aiunt, τοῦτο τὸ μύρον πραθῆναι ἐπάνω τριακοσίων δηναρίων κτλ. quo de pretio reliqui silent; Matth. enim de panibus emendis ne voculam perhibet, Lucas autem sic habet: ἡμεῖς ἀγοράσωμεν εἰς πάντα τὸν λαὸν τοῦτον βρώματα; Minus quam noster accurate etiam altero loco Matthaeus scribit: ἠδύνατο γὰρ τοῦτο πραθῆναι πολλοῦ κτλ. Notandum vero est, quod Iohannes cp. 6, 7. 12, 5. cum nostro omnino convenit[2]).

4) Iam personarum **nomina** a Marco nuncupata, a reliquis omissa dilucidaturus hos prae ceteris affero

---

2) Perperam Fritzsche (per Hugii Einl. II. p. 149. vestigia gradiens) in l. l. prolegg. p. 40. hunc quoque locum e Iohannis evangelio a Marco depromptum censet; at enim rei descriptio apud utrumque alia; prior enim illa verba Philippo, posterior autem discipulis generaliter adsignat; recte etiam obloquitur Saunier l. l. p. 173.

locos: Luc. 4, 42. Mc. 1, 36. Ille quidem in universum narrat: καὶ οἱ ὄχλοι ἐπεζήτουν αὐτὸν καὶ ἦλθον ἕως αὐτοῦ κτλ. hic vero utique accuratius sic: καὶ κατεδίωξαν αὐτὸν ὁ Σίμων καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοῦ. — Mt. 9, 9. Luc. 5, 27. Mc. 2, 14. Cuncti quidem referunt, Iesum Capharnaumo egressum conspexisse Levin, verum huius patrem nisi Marcus nemo nuncupat: τὸν τοῦ Ἀλφαίου[3]) — Mt. 12, 4. Luc. 6, 4. Mc. 2, 26. Solus Marcus sacerdotis, apud quem Davides rex, cum esuriret, ederit, nomen exhibet: Ἀβιάθαρ. Neque hic silentio praetermittendum est, quod idem V. T. quo illa res Abimelecho pontifice accidisse traditur, aperte contradicit; nonne enim si alios libros, Matthaei dico et Lucae evangelia, evolutos in suum usum convertisset, Vetus T. quoque, ut recta exhiberet, evolvere itaque memoriae suae subvenire debuisset? Sed inde iam satis superque cognosci potest, nostros scriptores in conscribendis commentariis non ita anxios fuisse, sed quaequae alicunde comperissent, in animoque reposuissent, ea vel omnia vel ex parte ordine libere constituto posteris tradidisse. — Mt. 20, 30. Luc. 18, 35. Mc. 10, 46. E solo Marci evangelio scimus, illi caeco prope Hierichuntem nomen fuisse Bartimaeo (υἱὸς Τιμαίου, Βαρτίμαιος ὁ τυφλὸς, ἐκάθητο κτλ.) Lucas enim satis indefinite habet: τυφλός τις; et Matth. duos id genus homines commemorat[4]). — Mt. 27, 32. Luc. 23, 26. Mc. 15, 21. So-

3) Bene hac de re sentit GRIESBACH l. l. p. 413. »Et »Marco plura de isto Levi nota erant, quam vel ipsi »Lucae.« Nec non SAUNIER p. 57. »daß Levi ein Sohn des Alphäus war konnte er (Marcus) aus der Geschichte wissen.« etc.

4) De hoc loco GRIESBACH p. 420. sic statuit: »manife»stum erit, Marcum accuratissime de hoc eventu fuisse

lus Marcus memoriae prodidit, filiis Simonis Cyrenaei nomina fuisse Alexandro et Rufo (*τὸν πατέρα Ἀλεξάνδρου καὶ Ῥούφου*) eamque rem reliqui nescisse videntur. — Mt. 27, 56. Luc. 23, 49. Mc. 15, 40. Solus Marcus *Σαλώμης*, uxoris Zebedaei, matris Iacobi et Iohannis nobis servavit nomen. — Quibus et cognomina commode possunt accenseri, ut: Mt. 10, 2. Luc. 6, 14, Mc. 3, 17. ubi noster filios Zebedaei a Christo tonitru filios cognominatos tradit: *καὶ ἐπέθηκεν αὐτοῖς ὀνόματα Βοανεργὲς, ὅ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς*. Cuius rei apud reliquos nec nota nec vestigium. — Mt. 27, 56. Luc. 23, 49. Mc. 15, 40. coll. cp. 16, 1. Solus Marcus refert, Iacobo, Alphaei filio, *τοῦ μικροῦ* fuisse cognomen.

Neque tandem eos altissimo silentio premendos censeo locos, ubi Marcus, quantulum id sit, ea, quorum mentionem facit, apud lectoris animum planius pleniusque quam reliqui informat. En tibi eorum locorum tabulam:

Matth.	Marc.
cp. 26, 37. *τοὺς δύο υἱοὺς Ζεβεδαίου*	cp. 14, 33. *Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην*
— 20, 20. *ἡ μήτηρ τῶν*	— 10, 35. *Ἰάκωβος καὶ Ἰω-*

»edoctum. Ubi igitur ab aliis discedit tacite corrigere »hos voluisse censendus est.« Argutiae! Hoc enim si verum esset, nonne itidem et Matthaeus et Lucas, ubi rectiora perhibent, Marci evangelium emendare voluisse essent censendi? Omnino autem adsentior SAUNIERO, qui hac de re sic iudicat p. 123. »Marcus hat aber wohl noch genauere Erkundigungen über den Mann eingezogen, — — und es ist leicht möglich, daß er uns die Geschichte aus einer besondern Quelle gibt« etc. Atqui si tantos auctores habebat, qui veriora suppeditare valebant, cur tandem Matthaeum et Lucam sibi elegit duces?

Matth.		Marc.	
	υἱῶν Ζεβεδαίου		άννης, οἱ υἱοὶ Ζεβεδαίου
cp. 28, 1.	ἡ ἄλλη Μαρία	cp. 16, 1.	Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου
— 27, 61.	ἡ ἄλλη Μαρία	— 15, 47.	Μαρία Ἰωσῆ
— 14, 10.	πέμψας	— 6, 27.	ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτωρα
— 27, 18.	διὰ φθόνον παρέδωκαν αὐτόν.	— 15, 10.	διὰ φθόνον παραδεδώκεισαν αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς.

Iis et hos annecto locos: Mt. 16, 6. Mc. 8, 15. Prior in universum praeceptoris cohortationem delineat: *προσέχετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων*. Marcus vero quisnam potissimum faverit Sadducaeorum placitis innuit: *βλέπετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων καὶ τῆς ζύμης Ἡρώδου*. — Mt. 24, 3. Luc. 21, 7. Mc. 13, 3. Illi Iesum a discipulis fuisse interrogatum simpliciter referunt, hic vero eorum nomina sic indicat: *Πέτρος καὶ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης καὶ Ἀνδρέας*.

Quibus ita expositis, quam bene noster evangelista omnem historiam evangelicam compertam habuerit, iam satis, opinor, elucet. An enim nihil valent illi loci, ubi Christum in puppi cubantem dormiisse, ubi eum tertia hora cruci suffixum esse, ubi discipulos a magistro binos esse emissos, ubi unum tantum eos secum portasse panem, ubi porcos denique Gadarenos bis mille fuisse narratur? Et quod fortasse magis nostram sententiam constabiliat, nonne illa nominum indicia, quae alias non reperiri constat, Marcum intimam cum omnibus historiae sanctae partibus contraxisse familiaritatem clarissime probant? Iuvat ad nostrales attendere

homines illos ab omni litterarum genere longe remotos, qui quam curate sua enarrant, eventorum et tempus et locum quam anxie describunt atque depingunt, minutissima quaeque quam, ut ita dicam, morose ac mordicus tenent, quamque ubertim ac verbose eloquuntur [5])! Id quod in ipso Marci evangelio conspicuum autumo; tam enim diffuse, tam late ac verbose, quidquid fere refert, adumbrat, ut res a Christo gestas de sua ipsius penu ante oculos nobis posuisse videatur. Si enim, quae praebet, ea omnia e scriptis quibusdam fontibus deprompsisset, futurum sane fuisset, ut quod nunc ferimus evangeliume legantius evaderet concinniusque. Quodsi vero ipse evangelium conscribere noster potuit, cur tandem eum descripsisse dicis? Quodsi deinde eum permulta sibi soli propria et peculiaria habere in aperto est, quid quae ista sunt ea e fama ore propagata pullulare, quae vero cum ceteris communia vel ex his ipsis transscripta vel aliunde desumpta contendis? Cur tandem, ut brevi praecidam, totum evangelium eorum, quae Marcus rescierat, imaginem ab eo adumbratam posterisque traditam esse negas?

---

5) Praeter rem igitur a GRIESBACHIO l. l. p. 388. Petrina evangelii tradendi facultas addubitatur; »quis enim, ait, »sibi persuadeat, Petrum in sermonibus suis historiolas »de Christo sicuti apud Marcum eas legimus, hoc est »cum minutissimis περιστάσεσι enarrasse!« sed cur hoc non potuerit efficere? Quodsi enim Marcus, qui nunquam fortasse rebus a Christo gestis interfuisset, ea saltem, quae plura quam reliqui tradidit, aliunde audita tam acri complectebatur memoria, quidni et ipse Petrus, quo coram omnia essent acta, ea etiam firmius in animo suo reposuerit?

§. 7.

Marcus personas auget, sententias ampliat, alia in maius extollit, alia explicat.

Ubique fere res gestas noster suo quodam modo explicat et ita exornat, ut lectoribus imaginem omnibus partibus absolutam ob oculos ponere voluisse videatur. Sane quidem reliquis pauciora habet, sed quidquid profert, id fuse et probe expositum. Quod exemplis confirmaturi iamiam necesse opinantes provocamus

1) ad personarum numerum a Marco auctum. Mt. 4, 22. Mc. 1, 20. Ille Iacobum et Iohannem patrem suum Zebedaeum deseruisse narrat, hic vero verba: *μετὰ τῶν μισθωτῶν* habet adiecta. — Mt. 8, 14. Luc. 4, 38. Mc. 1, 29. Illi Iesum Petri domum intrasse referunt, quod idem et Marcus habet, sed insuper etiam illud: *μετὰ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννου*. Deinde id quoque notatu dignum videtur, quod Matthaeo *εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρου* habente, Luca: *εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος*. Marcus *εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος καὶ Ἀνδρέου* scripsit. — Mt. 12. 14. Luc. 6, 11. Mc. 3, 6. Secundum illos Pharisaei tantum nequam consilia contra Christum struxere, Marcus vero iis Herodianos adiungit, (*μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν*). Huc attinet referre illum quoque locum Mc. 3, 8. coll. Mt. 12, 15. Luc. 6, 17 de quo iam supra pag. 39. verba fecimus. — Mt. 8, 23. Luc. 8, 23. Mc. 4, 36. Priores discipulos magistrum in navem ingressum esse secutos testatur, sic quidem et posterior, sed tamen addit insuper: *καὶ ἄλλα δὲ πλοῖα ἦν μετ' αὐτοῦ*. — Mt. 13, 54. Mc. 6, 1. Uterque Iesum in patriam abiisse refert, Marcus vero allinit: *καὶ ἀκολουθοῦσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ*. Quod idem legitur Mc. 8, 10. coll. Mt. 15, 39.

2) Loci, ubi sententiae a Marco ampliatae inveniuntur, hi fere sunt: Mt. 9, 9. Luc. 5, 27. Mc. 2, 13. Cuncti quidem Iesum conspexisse Matthaeum referunt, Marcus autem aliud quid huic rei praemittit: καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἤρχετο πρὸς αὐτὸν καὶ ἐδίδασκεν αὐτούς. — Mt. 9, 10. Luc. 5, 29. Mc. 2, 15. Matthaeum servatori magnum, cui etiam multi publicani adfuerint, parasse convivium uno fatentur omnes ore, illos vero eosdem Christum secutos esse nemo praeter Marcum memoriae prodidit: ἦσαν γὰρ πολλοὶ καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ. — Luc. 8, 43. Mc. 5, 26. Uterque tradit, mulierem illam sanguinis profluvio laborantem omnia sua expendisse sanatione, neque tamen quidquam adiutam fuisse; Marcus autem insuper testatur: ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸ χεῖρον ἐλθοῦσα. — Mt. 13, 58. Mc. 6, 5. Prior Iesum ibi non multa miracula edidisse simpliciter narrat, Marcus vero eum propter homines incredulos non potuisse miracula patrare edisserit, καὶ οὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ οὐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι — — καὶ ἐθαύμαζε διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν). — Mt. 13, 55. Mc. 6, 3. Apud Mt. homines Christo adstupentes sic quaeritant: οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱός; secus apud Mc. οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων; — Ab eodem cp. 9, 36. 10, 16. Iesus infantes sibi adductos in ulnas excepisse (ἐναγκαλισάμενος αὐτά) bis narratur, in locis autem parallelis Mt. 18, 2. 19, 15. Luc. 9, 47. 18, 17. altum de hac re silentium.

3) Neque rarius noster res in maius extollere videtur; ac primum quidem id habet peculiare, quod populi multitudinem reliquis renuentibus maiorem fuisse asseverat, ut cp. 1, 33. coll. Mt. 8, 16. Luc. 4, 40. καὶ ἦν ὅλη ἡ πόλις ἐπισυνηγμένη πρὸς τὴν θύραν· reliqui vero aegrotos a domino sanatos contestati nihil amplius quidquam addunt. — Eodem noster modo

cp. 2, 2. tot confluxisse homines affirmat, quot locus iste excipere non posset, (*καὶ εὐθέως συνήχθησαν πολλοὶ, ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν*). Lucas loco parall. cp. 5, 17. sic habet: *καὶ ἦσαν καθήμενοι Φαρισαῖοι καὶ νομοδιδάσκαλοι κτλ.* — Simile quid continetur Mc. 3, 20. *καὶ συνέρχεται πάλιν ὄχλος, ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν·* quod in locis parall. Mt. 12, 20. Luc. 11, 14. desideratur. — Tandemque inspiciatur Mc. 6, 31. coll. Mt. 14, 12. Luc. 9, 10. *ἦσαν γὰρ οἱ ἐρχόμενοι καὶ οἱ ὑπάγοντες πολλοὶ, καὶ οὐδὲ φαγεῖν ηὐκαίρουν·* quod et ipsum nostro peculiare.

Quibus iam locis etiam alios subiicio, quorum praecipua habeatur ratio apprime dignos. Luc. 5, 15 s. Mc. 1, 45. Ille famam de Christo percrebuisse simpliciter confirmat, hic vero uberius eam rem expingit sic: *ὁ δὲ ἐξελθὼν ἤρξατο κηρύσσειν πολλὰ καὶ διαφημίζειν τὸν λόγον, ὥστε μηκέτι αὐτὸν δύνασθαι φανερῶς εἰς πόλιν εἰςελθεῖν — — καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτὸν πανταχόθεν.* — Mt. 19, 14. Luc. 18, 16. Mc. 10, 14. Discipulos, qui feminas parvulos ad Iesum allaturas prohibere studerent, a praeceptore de eorum innocentia edoctos esse cuncti narrant; Marcus autem praeterea id quoque nobis servavit: *ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ἠγανάκτησε.* — Mt. 21, 12. Luc. 19, 45. Mc. 11, 15 s. In eo quidem conveniunt, quod Iesus in templum ingressus numulariorum mensas et columbariorum sedes subverterit illosque subinde ipsos eiecerit; Marco tamen addere placuit: *καὶ οὐκ ἤφιεν, ἵνα τις διενέγκῃ σκεῦος διὰ τοῦ ἱεροῦ.* Neque Iohannes cp. 2, 14 ss. eiusmodi additamentum suppeditat. — Mt. 24, 36. Mc. 13, 32. Apud utrumque Iesus de consummatione mundi plorans tempus, quo illa eventura sit, nemini, ne angelis quidem, nisi soli pa-

tri notum esse declarat; Marcus vero additum habet: *οὐδὲ ὁ υἱός·* id quod ad res dogmaticas aliquam vim habere videtur. — Restat ut

4) eos percenseam locos, ubi Marcus Iudaeorum mores et ceremonias et id genus alia explanat. Marcum lectoribus, qui e barbaris gentibus ad religionem christianam sese applicuerant, evangelium suum accommodasse, opinio est inveterata nec a vero aliena; persaepe enim ad Iudaeorum ritus explicandos inserit quaedam, quibus Christianis e Iudaeis oriundis nullo modo opus erat [1]). Loci huc referendi sunt hice: Mt. 9, 14. Luc. 5, 33. Mc. 2, 18. Consentiunt, discipulos Iohannis Christum aliquando interrogasse, quidni ipsius discipuli ieiunia servarent; Marcus autem, quo facilius omnis res intelligatur, praemittit haecce: *ἦσαν οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου καὶ οἱ Φαρισαῖοι νηστεύοντες.* — Mt. 15, 1 ss. Mc. 7. 1 ss Uterque in eo conspirat, quod Pharisaei e Iesu quaerunt, quam ob causam ipsius discipuli illotis manibus ad coenam itent; Marcus vero inserit: *οἱ γὰρ Φαρισαῖοι καὶ πάντες οἱ Ἰουδαῖοι, ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι, κρατοῦντες τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων· καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι. Καὶ ἄλλα πολλά ἐστιν, ἃ παρέλαβον κρατεῖν, βαπτισμοὺς ποτηρίων καὶ ξεστῶν καὶ χαλκίων καὶ κλινῶν.* — Luc. 21, 2. Mc. 12, 42.

---

1) Argumenta praebent: I. G. Rosenmüller: Scholl. in N. T. I. p. 560. I. D. Schulze: Ueber den schriftstellerischen Charakter und Werth des Evangelisten Markus in Keilii et Tzschirneri Analectis, II, 2. p. 137 ss. Eichhorn: Einl. in d. N. T. I. p. 618 ss. Cf. Epiphan. Här. 51, 6. Euseb. H. E. II, 15. p. 98. Nequidquam obloquitur Fritzsche: Comment. prolegg. p. 33 ss.

Ambo viduam illam pauperem λεπτὰ δύο εἰς τὸ γαζοφυλάκιον iniecisse referunt, Marcus autem nummorum pretium designaturus haec adspergit verba: ὅ ἐστι κοδράντης. — Mt. 24, 15. Mc. 13, 14. Pari modo hic quoque noster illud Matthaei: ἑστὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ· quasi interpretatur verbis: ἑστὼς ὅπου οὐ δεῖ. — Cf. Mt. 27, 57. Luc. 23, 54. Mc. 15, 42. ubi noster lectores edocet, cur Iesus illo ipso, quo mortuus esset, die sepultus fuerit, ἐπεὶ ἦν παρασκευή, inquiens, ὅ ἐστι προσάββατον.

Leviora quidem, non tamen omnino transmittenda haec sunt: Mt. 4, 17. Mc. 1, 15. Sec. Mt. evangelium Iesus sic cohortatur homines: μετανοεῖτε· ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν· sec. Marci vero, quid sibi velit, clarius significat: καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ· quae verba apud Matthaeum non leguntur. — Mt. 9, 4 Luc. 5, 22. Mc. 2, 8. Cuncti Iesum adversariorum consilia penitus perspexisse affirmant, quam quî perfecerit rem Marcus sic indicat: τῷ πνεύματι αὐτοῦ. — Mt. 13, 34. Mc. 4, 33. Prior sic habet: ταῦτα πάντα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν παραβολαῖς τοῖς ὄχλοις καὶ χωρὶς παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς. Marcus autem cur hanc potissimum docendi rationem adhibuerit praeterea dicit: καὶ τοιαυταῖς παραβολαῖς πολλαῖς ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον καθὼς ἠδύνατο ἀκούειν. — Mt. 20, 25. Mc. 10, 42. Multum interest inter Iesu orationem apud Matthaeum et Marcum; ille enim haec exhibet Christi verba: οἴδατε, ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν κτλ. hic vero et rectius quidem haecce: οἴδατε, ὅτι οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν κτλ.

Iam vero his ita pertractatis, quidnam effectum sit, quaeritur. Quamquam haud deerunt, qui ea, quae a nobis prolata sunt, non multum ad rem defenden-

dam facere dicant, tamen nonnulla eam confirmantia expiscati esse nobis videmur. Quid enim? Illa Herodis et Herodianorum commemoratio, nonne, ne dicam magnam, aliquam saltem cum historia evangelica Marco fuisse familiaritatem satis superque testatur? Illos dein homines, qui salutis cupidi ad servatorem toties confluxere, omnino excogitatos et fictos esse potestne et credi et argumentis probari? Nonne potius, quae eorum frequens apud nostrum incidit mentio, fundamentis quibusdam historicis superstructa esse videtur? Illud porro, quod Christus quemquam quidquam per templum portare vetuerit, an ita longe ab omni remotum est verisimilitudine? et quod morbus illius feminae sanguine profluente laborantis magis ac magis indies invaluerit, estne commentum Marci, quo nescio quidnam efficeret? An denique, nisi alicunde certior esset factus, illud οὐδὲ ὁ υἱός inserere sibi sumpsisset?

Quas tamen res utut existimaveris et animadverteris, id saltem, si quid unquam, nihil habet dubitationis, ea, quam nos ingressi sumus, via difficillima quaeque facillime vinci; cum enim dicere nequeas, quonam ex fonte scripto omnia hauserit noster, eum quoquo modo commentum esse non arguere non potes.

§. 8.

Narrandi genus apud Marcum copiosum.

Marco prae ceteris esse proprium atque perpetuum, res latius extendere et ita expingere, ut peculiarem quendam ducant colorem, iam supra notavimus: quod quo confirmemus restat ut nonnulla subnectamus exempla[1]). Et primus locus id spectans est Mc. 3, 7 ss.

1) Non adsentior SAUNIERO, qui l. l. p. 44. „Wenn von der Rede eines Dritten, inquit, eine kurze und eine aus-

coll. Mt. 12, 15 ss. Luc. 6, 17 ss. ubi noster multo accuratius et copiosius rem exponit, quam reliqui; quae enim apud eum per sex versus extenduntur, ea breviter scilicet delibata apud Matth. duobus, apud Luc. tribus comprehenduntur.

Mt. 14, 3 ss. Mc. 6, 17 ss. Summa pigmentorum ubertate verborumque copia Marcus in historia de Iohanne interfecto exponenda utitur enarrans, Herodem, qui Iohannem et probum virum habuerit et libenter audiverit, (*εἰδὼς αὐτὸν ἄνδρα δίκαιον καὶ ἅγιον,—— καὶ ἡδέως αὐτοῦ ἤκουε,*) chiliarchis et proceribus Galilaeae instruxisse epulum, cui etiam filia Herodiae interfuerit. Ei, quae coram omnibus saltasset iisque admodum placita esset, regem sancte iurasse, se, si quid in votis haberet, omnia quantacunque rogarit ipsi esse largiturum, tametsi vel dimidium regnum postularit. (*Αἴτησόν με, ὃ ἐὰν θέλῃς, καὶ δώσω σοι. Καὶ ὤμοσεν αὐτῇ· ὅτι ἐάν με αἰτήσῃς, δώσω σοι ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου*). Quorum omnium nihil perhibet Matthaeus, aliud tamen, quod apud Marcum desideratur, subiiciens: *καὶ ἐλθόντες* (scil. *οἱ μαθηταὶ τοῦ Ἰωάννου*) *ἀπήγγειλαν τῷ Ἰησοῦ.*

---

führliche Angabe vorhanden ist, so ist die ausführliche gewiß die ursprüngliche und die kurze die abgeleitete.« At ut contrarium facilius forsitan evinci queat, (epistolarum e. g. Ignatii breviorem editionem primigeniam esse nemo fere dubitat,) non desunt loci, ubi Marcus reliquis longior latiorque est ideoque e Saunieri sententia evangelium suum prius quam isti exaravit. Neque tamen ille idem V. D. sibi constat p. 53. sic disserens: »Marcus erscheint hier als der ausführlichere, Lucas als der kürzere,« quo sane, si illi sententiae Saunieri suffragaremur, nostram rem apte firmare possemus.

Mt. 17, 14 ss. Luc. 9, 37 ss. Mc. 9, 14 ss. Christo de monte descendenti multos obviam prodiisse homines, omnes uno consensu edisserunt; Marcus vero scribas cum discipulis disceptasse, (*καὶ γραμματεῖς συζητοῦντας πρὸς αὐτούς*) et Iesum quaesiisse: *τί συζητεῖτε πρὸς αὐτούς;* praeterea testificatur. Nec minus id quoque nostro peculiare, quod turba, ubi Christum conspexisset, expaverit eumque salutaverit, (*καὶ εὐθέως πᾶς ὁ ὄχλος ἰδὼν αὐτὸν ἐξεθαμβήθη καὶ προςτρέχοντες ἠσπάζοντο αὐτόν*). Eodem modo in sanatione hominis daemoniaci describenda, cuius adumbratio illam rem excipit, multo verbosior est omnemque rem fusius exponit ita: Cum servator opem laturus e patre quaesiisset, quo ex tempore filius morbo vexaretur, hic respondit: *παιδιόθεν· καὶ πολλάκις αὐτὸν καὶ εἰς πῦρ ἔβαλε καὶ εἰς ὕδατα·* cumque dein servator fidem postulasset, (*εἰ δύνασαι πιστεῦσαι· πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι*) eamque pater fassus esset, (*πιστεύω, βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ*), spiritum elicuit hisce verbis: *Τὸ πνεῦμα τὸ ἄλαλον καὶ κωφὸν, ἐγώ σοι ἐπιτάσσω, ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ καὶ μηκέτι εἰςέλθῃς εἰς αὐτόν.* Quo facto infelix *ἐγένετο ὡσεὶ νεκρὸς, ὥστε πολλοὺς λέγειν, ὅτι ἀπέθανεν.* Quam itaque curate, quam diligenter, quam scite haec omnis res a Marco depicta sit atque pertexta, quisquamne est quem lateat? Exinde eundem a certo quodam auctore, qui fortassis cum res eveniret una esset, eam accepisse si quis coniecerit, num ita longe is a vero aberraverit? Vix enim ac ne vix quidem a me impetro, ut eorum, qui Marcum omnia sic enarrata commentum esse dictitant, sententiis meam adscribam [2]).

---

2) Admodum probabiliter de hoc loco sic disputat SAINIER p. 113. » — — so erzählt er die Heilung des stum-

Non aliter de colloquio Christi cum iuvene, Mc. 10, 21. Mt. 19, 21. Luc. 18, 22., quod partim iam supra p. 24. perlustravimus statuendum; primum enim noster sic habet: *καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ εἰς ὁδὸν προςδραμὼν εἷς καὶ γονυπετήσας αὐτόν κτλ.* Deinde vs. 19. inserit: *Μὴ ἀποστερήσῃς·* vs. 21. *ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας αὐτῷ ἠγάπησεν αὐτόν κτλ. — — ἄρας τὸν σταυρόν* et vs. 22. *ὁ δὲ στυγνάσας ἐπὶ τῷ λόγῳ κτλ.* Tum vs. 24. habet adiecta: *ὁ δὲ Ἰησοῦς πάλιν ἀποκριθεὶς λέγει αὐτοῖς· Τέκνα, πῶς δύσκολόν ἐστι, τοὺς πεποιθότας ἐπὶ χρήμασιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰςελθεῖν.* Denique vs. 29. haec Marco propria sunt: *καὶ ἕνεκεν τοῦ εὐαγγελίου* et vs. 30. *οἰκίας καὶ ἀδελφοὺς καὶ ἀδελφὰς καὶ μητέρας καὶ τέκνα καὶ ἀγροὺς μετὰ διωγμῶν κτλ.* quae omnia a reliquis omissa sunt.

Pariter digna quae inspiciatur et ista narratio est de ficu arefacta, Mc. 11, 12 ss. Mt. 21, 18 ss. ubi quae Marcus solus memoriae prodidit breviter ante oculos pono haecce: vs. 13. *ἀπὸ μακρόθεν, ἔχουσαν φύλλα — — εἰ ἄρα εὑρήσει τι ἐν αὐτῇ· — — οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων.* vs. 20. *ἐκ ῥιζῶν.* vs. 22. *ἔχετε πίστιν θεοῦ.* Sequentia admodum variant sic:

Mt. vs. 21. 22.	Mc. vs. 23—26.
Ἀμὴν λέγω ὑμῖν· ἐὰν ἔχητε πίστιν καὶ μὴ διακριθῆτε, οὐ μόνον τὸ τῆς συκῆς	*Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὃς ἂν εἴπῃ τῷ ὄρει τούτῳ· ἄρθητι καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ μὴ διακριθῇ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ,*

men Besessenen mit einer solchen Anschaulichkeit und Lebendigkeit, um so viel genauer und umständlicher, als die Andern, daß er nothwendig über diesen Gegenstand besser unterrichtet gewesen sein muß als sie; ohne Zweifel von einem Augenzeugen über dessen Person sich aber nichts sagen läßt.«

ποιήσετε, ἀλλὰ κἂν τῷ ὄρει τούτῳ εἴπητε· ἄρθητι καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, γενήσεται. Καὶ πάντα, ὅσα ἂν αἰτήσητε, ἐν τῇ προσευχῇ πιστεύοντες λήψεσθε.

ἀλλὰ πιστεύσῃ, ὅτι ἃ λέγει γίνεται, ἔσται αὐτῷ, ὃ ἐὰν εἴπῃ. Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν· πάντα, ὅσα ἂν προσευχόμενοι αἰτεῖσθε, πιστεύετε, ὅτι λαμβάνετε, καὶ ἔσται ὑμῖν. Καὶ ὅταν στήκητε προσευχόμενοι, ἀφίετε, εἴ τι ἔχετε κατά τινος, ἵνα καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἀφῇ ὑμῖν τὰ παραπτώματα ὑμῶν. Εἰ δὲ ὑμεῖς οὐκ ἀφίετε, οὐδὲ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἀφήσει τὰ παραπτώματα ὑμῶν.

Sententia a Marco vs. 26. proposita apud Matthaeum alio loco cp. 6, 14 s. reperitur.

Quid ex his pigmentis sit colligendum, non est quod uberius exponam [3]).

§. 9.

Conclusio.

Quamquam novi quid hic evocare neque mihi est animus neque facile fieri potest, ad ea tamen, quae

3) Parum recte de talibus iudicat SAUNIER p. 131 s. »Wir finden ihn hier, inquiens, in zwei Stücken besser unterrichtet als seine Nebenmänner; daß er aber so genau erzählt und von seiner Erzählung nichts hinübergekommen ist in ihre Darstellung spricht für seine spätere Abfassung; Matthäus und Lucas kannten ihn nicht, sonst hätten sie diesen ausführlichen Bericht nicht unbenützt gelassen.« Quam vero argumentandi rationem si nos ad nostram rem adhibuerimus, cum Saunicro probabimus idem; cum enim permulta, quae in Marci evangelio desiderantur, a Matthaeo et Luca perhibeantur, illum horum commen-

huc usque a nobis exposita sunt, paululum respicere quaeque extra omnem ferme controversiam posuisse nobis videmur, paucis significare necesse iudicamus. Primum enimvero permultas res easque ut diligenter tractatas ita valde credibiles, quae apud Matthaeum et Lucam non inveniantur, a Marco exhiberi monstravimus [1]); eas proinde ex illorum commentariis non esse decerptas satis liquet: eas vero ex alio evangelio, quod tunc quidem erat, non tamen ad nostram usque aetatem pervenit, arcessitas esse, nullis potest probari argumentis: eas denique a nostro esse confictas historiaeque evangelicae obtrusas credi vix potest. Id enim si dixeris, Marcum consulto lectores suos mendaciis onerasse simul argues; cum tamen tale quid obtendere nulla nos cogat necessitas, contra vero, idoneis argumentis suppetentibus, fides scriptori sit vindicanda, nostrum sane erit, ut Marco eam quoquo modo vindicemus. Quo postremo accedit, quod ipsae quas dicimus res maximam partem ita ad veritatem accedere videntur, ut ipsa verisimilitudo eas iam tueatur ac defendi iubeat.

---

tariis non esse usum consequitur. Praeterea sibi ipse repugnat SAUNIER p. 58 sic disserens: »Dafür aber, daß Lucas hier der ursprüngliche ist, spricht auch noch, daß er mit großer Genauigkeit die Geschichte des Fischzuges Petri erzählt und sie ganz in seinen Context verflochten ist.«

1) Quocirca minus recte D. FRITZSCHE Comment. prolegg. p. 36. sic disputat: »Marcus per universum librum nihil refert, quod non Matthaei et Lucae commentariis contineatur, si a paucis versibus recesseris.« At vero si ista omnia, quae Marcus solus proponit adque historiam servatoris de sua penu addidit, respexeris, ea non paucis contineri versibus facile intelliges.

Iam vero his ita expositis, unde omnia illa peculiaria repetierit noster, facile apparet; ex evangelio videlicet ore tradito. Id quod ex parte vel ab iis, qui e contrariis partibus stant, conceditur [2]). Quoniamque ita, cum scriptum quendam fontem nemo quisquam certo indicare possit, quin Marcus summa evangelii conscribendi facultate instructus fuerit, non amplius dubium est, quid, quaeso, tot et tantis istis difficultatibus implicari malimus, quam planissimam expeditissimamque ingredi viam?

Quo quidem diligenter ponderato nonnulli, quo rem facilius expedirent, aliam praetulere rationem suspicantes, Marcum non ad litteram quidem Matthaei et Lucae libros excerpsisse, eos tamen ante legisse multaque tam firma retinuisse memoria, ut deinde ad verbum litteris mandare posset. Neque vero ita res explicetur ullo modo necesse censeo; utra enim tenaciori custodiantur memoria, lectane an audita haud satis exactum autumo. Ad me quod attinet posterius paene affirmaverim; nam homines omnis fere eruditionis expertes libere confitentur, sibi monumentum aliquod scriptum legentibus multas et magnas afferri difficultates saepeque accidere, ut hoc loco id, alio aliud non

---

2) Id fatetur Saunier l. l. p. 126. de extremorum Christi cruciatuum historia sic sentiens: »— — eine wörtliche Gleichheit ist hier nicht so unmöglich, und wird deshalb nicht ein so sicheres Criterium sein für die gegenseitige Abhängigkeit, oder für die gemeinschaftliche Abhängigkeit von einer schriftlichen Quelle.« et p. 127. »Leicht wäre es möglich, daß er nur im bisherigen aus Matthäus und Lucas geschöpft habe, weil es ihm an einer constanten und sichern Tradition fehlte, daß er aber das Folgende aus eignen mündlichen oder schriftlichen Quellen mittheile, weil über diese letzten Begebenheiten eine ausführliche und sichere Tradition gewiß da war.«

plane perspiciant, quae vero ore sibi tradantur, ea plenius intelligere omnia. Neque id mirum; verba enim chartae mandata iis, qui minus in studiis versantur, plerumque litterae sunt, ut ita dicam, mortuae, viva autem vox magis eorum animos tangit atque concitat. Nonne enim ea, ubi nimirum de rebus momenti agitur, bonum quemque vehementer permoveri atque percelli experientia docet? Nonne eundem, quae tanta animi attentione audiverit, ea ad litteram reddere ac re exigente chartae etiam mandare posse itidem certum?

Reliquum denique est, ut eorum opinionem cursu breviter perstringamus, qui quidem nec Matthaeum a Luca, nec hunc ab illo in conscribendis commentariis ullo pependisse modo concedunt, eandem tamen libertatem Marco derogant; hi profecto in sententia de evangeliorum origine ferenda parum sibi constant, et quo suam rem recte defendant vix habere videntur. Etenim quoties Marcus cum illis consentit, toties sane et hi inter se conveniunt; si quis ergo e tali Marci vel cum Matthaeo, vel cum Luca, vel cum utroque simul convenientia evincere tentarit, illum ex horum evangeliis suas eduxisse historias, is aut Matthaeum, aut Lucam, ut quorum quisque permulta habeat omni ex parte cum altero communia, eiusdem rei arguat necesse certe erit. Quodsi igitur audiendi essent, qui unum alterius libro in suum usum adhibuisse existimant, ii sane, qui unum ab altero, et tertium ab illo utroque suas res reportasse dicunt, minus false forsan contenderent.

Atque hic iam finem impono scriptioni meae; quae praeterea de nostri evangelii origine perscripsi, alio tempore, si deus vitam et vires concesserit, publici iuris faciam.

55

Knobel

de evangelii Marci origine dissertatio

